DE VETERUM, IMPRIMUS ROMANORUM STUDIIS ETYMOLOGICIS

:: PARS PRIOR. ::

DE VETERUM, IMPRIMIS ROMANORUM STUDIIS : ETYMOLOGICIS :

SCRIPSIT

FRED. MULLER J. F.

PARS PRIOR

TRAIECTI AD RHENUM — APUD A. OOSTHOEK — MCMX

PRAEFATIO.

> Postea sexcentas addidit (sc. artes) Chaldaeorum superstitio et Graecorum otiosa levitas, meras ingeniorum cruces, adeo ut vel una grammatica abunde satis sit ad perpetuam vitae carnificinam.
>
> ERASMUS, Stultitiae Laus. C. 32 i.f.

F. Bechtel et G. Wissowa Halenses, viri clarissimi, circiter duobus abhinc annis auctores mihi fuerunt, ut disquisitionem, quatenus Romanorum etymologiae studia a Graecis derivanda essent, instituerem. Quod ut agerem, omnia veriloquia ad linguam latinam pertinentia sedulo undique congessi [1]) congestaque ordine disposui chronologico. Iam statim neque in Germania neque in Gallia [2]) fusius quemquam de his rebus egisse patebat — id quod mali potius augurii quam boni ominis mox duxi. Nempe in conscribendis

[1]) Fontes mihi fuerunt: Varia ex Wölfflini Archiv (VIII), Funaioli, *Gramm. Rom. Fragm.*, Cicero (*Orator et de Nat. Deor.*), Varro, Nigidius (Swoboda), Festus, Corpus Gramm. Latin. Keil (7 voll.), Anecdota Helvetica ed. Hagen, Gellius, Plinius Nat. Hist. (per indicem), Quintilianus, Pseudo-Acro, Porphyrio, Non. Marcellus, Euanthius, Donatus, Servius et App. Vergiliana ed. Thilo et Hagen (4 voll.), Macrobius, Lactantius in Statium, Schol. Bernensia in Verg. ed Hagen, Isidori Origines, Commenta Bernensia in Lucan. ed. Usener, Scholia in Lucanum ed. Weber (nondum in nova editione), Thesaurus glossarum emend. ed. Goetz (= C.G.L. VI et VII). Loewe *Prodromus Gl. Lat.*

[2]) Hoc mihi rogati affirmaverunt praesentes L. Havet et P. Lejay Parisini, viri clarissimi.

schedularum illis sedecim fere milibus — infandum laborem! — cum suspicio mihi iam orta esset, apud Romanos tam in disciplinae praeceptis quam in etymorum modo ac ratione parum admodum commutatum, emendatum, innovatum esse, tum disputatio de etymologia Romana aetatis antevarronianae a me instituta nihil iam dubitationis mihi reliquit, quin huius doctrinae historia ut tot aliarum rerum maximam partem apud Graecos investiganda esset. In Latinorum solo id maxime[1]) operae pretium futurum cogitavi, ut examinarem, quomodo his novis linguae vernaculae studiis graeci luminis acumen adhibuissent. Romanorum autem etymologia nemini aditum praebet, nisi qui Graecorum cognitam habeat. Qua de causa ut mihi, ita et aliis haud superfluum duxi, brevem huius rei, qualis apud Graecos esset, conspectum exponere usque ad Varronis aetatem. In quo Steinthali libro, imprimis volumini eius priori eique meliori, et Reitzensteini scriptis permultum me debere, grato animo ac libenti semel hic confiteor: quicumque in hac materia vel mediocriter versatus est, hanc affirmationem paene supervacaneam esse non ignorat.

Porro schedulas *A* litterae ex omnibus auctoribus conquisitas vocabulorum ordine chronologico composui, ita ut uniuscuiusque vocabuli historiam etymologicam haberem in promptu; ex Gerardi Ioannis Vossi *Etymologico linguae latinae* (Amstelodami 1662) et ex novo *Thesauro linguae latinae* eorum numerum supplevi, ut etiam ex auctoribus ecclesiasticis abstrusis et reconditis copiae mihi praesto essent; omnia denique duplicibus excussi tabulis, ut hinc quid de fontium quaestionibus et etymorum propagatione, illinc quid de etymologiae historia et fatis veriloquia docerent, colligerem. Hanc inquisitionem, quamquam magis etiam quam antea mihi persuasit, post Varronem aut nihil aut paulum admodum in ipsa etymologia esse immutatum, primo

---

1) Hic non de iis studiis loquor, quae hodie nomine „Quellenforschungen" apud vicinos magno honore florent. V. infra.

dissertationi meae addere in animo fuit; deinde vero propter nimium iam libelli ambitum id facere supersedi. Ceterum iam nunc persuasum mihi esse affirmo, omnia ista etyma latina maxime conducere posse ad grammaticorum latinorum fontes melius aperiendos: huius rei fructus maior in iis positus est, quam quod etymologiae historiae, si Isidorum unum exceperis, proderunt. Varronem [1]) igitur patrem atque auspicem nostrae disciplinae cum agnovissem, huius tantum doctrinae studia descripsi, cetera ad tempus omisi: nam ego quidem censeo, Varronem quasi limite campum etymologicum partiri, quippe qui liberam etymologiae explicationem dirimat ab iis, qui aut tradita post tradiderunt aut iudicio critico „casuistico," ut nunc homines loquuntur, exposuerunt (in quibus Quintilianus et Gellius sunt) aut quantuiumcumque addiderunt novi [2]).

---

[1]) G. Goetz et R. Schoell, viri clar., rogatu G. Wissowae v. cl. benevole mihi permiserunt, ut novae Varronis editionis plagulas plerasque (p. 1—160) per aliquot menses in meum usum converterem. Cui virorum illustrium triadi hoc loco, ut par est, gratissimum libenter profiteor animum.

[2]) Lectorem ad Addenda reicio, quae in fine libri posita inveniet.

PARS PRIOR.

QUA SUMMATIM PERSCRIBUNTUR GRAECORUM SYSTEMATA ATQUE OPINIONES [1].

CAPUT I.

De iis, qui Platoni fuerunt aetate superiores

Qui de rebus praeteritis iuste recteque iudicare vult, semper et ubique iis tenetur difficultatibus, quibus ratio historica obnoxia est. Quasi extra suum ipsius animum ingeniumque egrediatur necesse est, ut in aliorum quantum poterit transeat: id quod cum in aequalibus iam perdifficile sit, tum in hominibus longi temporis intervallo a nobis remotis nimis fere temerarium salebrosumque videtur inceptum. Nihilominus hoc unum non modo iustissimum, sed etiam unice verum est iudicium. Quis non videt, illum, qui res atque homines superioris aevi deridendos ducat,

[1]) Conferantur de re universa: L. Lersch, *Die Sprachphilosophie der Alten*, imprimis vol. III, 1841 (quo de etymologia agitur); H. Steinthal, *Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern*², 1890—91; R. Reitzenstein, *Geschichte der griechischen Etymologika* 1897; Idem, *M. Terentius Varro und Johannes Mauropus von Euchaita*, 1901; Idem, i.v. *Etymologika* in Pauly-Wissowa.

Nonnihil etiam invenitur in: R. Schmidt, *Stoicorum grammatica*, 1839; A. Wilmanns, *de M. Terentii Varronis libris grammaticis* 1864, Th. Benfey, *Ueber die Aufgabe des platon. Dialogs Kratylos* (= Abh.

non eos magis quam se irrisioni exponere? Facile enim inde mens eius viri proditur, qui, ut alios a scopo plane aberrasse censet, ita sibi ad summum sapientiae culmen iam pervenisse aut brevi perventurus videatur. Ut alios irrideat, suam ignoret ignorantiam, i. e. doctrinam imperfectam, necesse est. Id agendum est, ut praeterita quantum fieri potest tamquam veros aetatum superiorum fructus et aevi sequentis igniculos ac semina intellegamus: non despiciendo nascitur intellegentia.

Verum non minus difficile atque periculosum opus videtur quam necessarium. Adeo arcte nostri animi cogitationibus opinionibusque irretiti sumus, ut inde nos extricare non possimus, quin nostrae araneae aliquantulum nobiscum asportemus. At fac, nos elapsos atque nostri quam maxime potest expertes iam vagari. Quomodo in alienos animos transmigrabimus, cum praesertim tam longe illi a nobis absint? In hominibus mortuis ea undique colligimus, ex quibus, quid secum cogitaverint quave via ac ratione ad suas notiones pervenerint, nobis appareat. Verum eiusmodi amminicula, quamvis improbo labore congesta et sagaci ingenio inter se coniuncta sint, ad aedificium solidum firmumque exstruendum, hoc est ad plenam earum rerum descriptionem minime suppetunt.

Quasi via doctrinis historicis trita nondum satis salebrosa sit, iis, qui in antiquam scientiam de linguarum vita deque vocabulorum enodatione penetrare velint, nova etiam impedimenta eaque gravissima fiunt, quae tam in ipsius argumenti genere ac natura quam in nobis ipsis vertuntur.

Neque enim quemquam fugit, opinor, hic cum maxime

---

d. Sächs. Ges. d. W. 1862—64, p. 189—330); Schoenemann, *de lexicographis antiquis*; H. Usener, *Ein altes Lehrgebäude der Philologie* (= Sitzber. d. bayer. Akad., phil.-hist. Cl. 1892, 582—648); R. Thurneysen, *die Etymologie* (Festrede 1905); W. Kroll, *Geschichte der klassischen Philologie* (= Sammlung Göschen No. 367).

Pauca in B. Delbrück, *Einleitung* etc. [4] et Wundt, *Völkerpsychologie* [2] (1904) in capite ultimo: die Ursprung der Sprache.

arduum esse, illam veterum mentem animo nobis repraesentare. Disciplina hodierna iam inde a parvula aetate certis notionibus ad linguam vernaculam pertinentibus nos imbuere solet, partibus orationis aliisque rebus, ita ut maiore, quam vulgo creditur, labore atque exercitatione nobis contingat, ut haec atque talia non iam firma, aeterna, generi humano velut innata putemus, verum, ut sunt, tamquam totidem victorias, a mente humana post longorum saeculorum luctationes neque sine multis erroribus reportatas, ea esse perspiciamus.

At vero longius etiam progrediendum est. Hoc statuamus, nostri temporis scholas iusto magis id agere — quamquam aliter fieri vix potest — ut doctrina sua vere „scholastica" nos ditet beetque. Dum enim singula adeo firma, ab aliis rebus segregata, per se stabilia ac constantia exhibet, ea potius exanimat quam luce donat: mors videlicet, non vita est, cum talia non tamquam cum ceteris linguae humanae partibus arcte cohaerentia atque ex nostra tantum mente semper vitam haurientia proponuntur. Unde factum est, ut mirum quantum et in re phonetica (in ea parte praesertim, quae vocatur „Satzphonetik, Sandhi") et in semasiologiae doctrina[1] instructio hodierna composititcia sua vocabulorum tabula („woordenlegkaart" ut ita dicam) et ante moras atque impedimenta attulerit et etiamnunc afferre non desierit.

Iam ipsum argumentum cur proprium habeat incommodum, paucis explicare liceat. Cum enim quaestio de linguae origine orta et ipsa etymologia tam grave esset ζήτημα tamque intricatum, ut hodie nobis quoque λύσις omnibus numeris perfecta nondum contigerit, tum hic locus apud antiquos singulare quiddam semper habebat, quod multo minus quam nos difficultates ipsas agnoscebant et perspicere conabantur. Quo factum est, ut antiquorum de

---

[1] Cf. de hac re e.g. M. Bréal, Essai de sémantique" (1897) in cap. XVII (les groupes articulés) et passim.

his rebus notiones modo audaces aut absurdae nimium videantur in parte theoretica, modo, ubi usurpantur, neglegentes, socordes, sordidae, semper fere et ubique mirae. Hae observationes in etymologiae graecae primordiis iam statim suum locum obtinent.

Apud Graecos, ut alibi, nusquam non etymologiam sibi consciam distinguamus oportet ab illa, quae vulgo etymologia popularis dicitur („volksetymologie").

Haec [1]) minime sibi conscia apud omnes gentes semper eadem est: nascitur e populi inclinatione linguae vernaculae vocabula in omnibus partibus quam maxime sensu repleta sibi fingendi. Est hic regnum analogiae, si usquam est. Extremum igitur ad communem illum tot tamque variarum linguae mutationum fontem redit: segnitiam [2]) quandam dico, qua populus, qua nos omnes nova semper perosi, si non omnino necessaria sunt, propulsamus: sin minus, quantum potest ad veterem normam mutata recipimus. Sunt duo verborum genera, quibus novam quasi vitam inspirat: *a.* ea verba, quae mutatione phonetica adeo mutata sunt

---

[1]) Cf. e. g. Steinthal l.l. I² 6. sqq; Bréal l.l. p. 50; Paul, *Principien*² p. 180, 182; Wundt, *Völkerpsychologie*² (1904), Die Sprache I, 464 sqq. Nuperrime D. C. Hesseling in *de Gids* 1909, in commentatione: *Kindertaal.*

Wundt ib. de his rebus agit in capite: Laut- und Begriffsassoziationen bei Wortentlehnungen, i. e. de iis vocabulis quae sub b. attigi, cum ea quae sub a. tractata sunt, ad caput: Bedeutungswandel potius referenda sint. Nempe genus b. hoc habet commodi, quod eius mutatio certo tempore, quod saepe definiri possit, nobis ostenditur, id quod in illis non obtinet.

[2]) Operae pretium fortasse est, denuo monere, populum sibi huius segnitiae conscium non esse. Unde sequitur, „rectam" (pristinam) vocabuli condicionem populo non animo obversari: plerumque — namque negare non ausim, semel atque iterum ut hodie sic antea lusum quendam in vocabulo per iocum factum, idem efficientem atque etymologiam popularem, in linguam penetrare ibique locum vindicare — plerumque, inquam, populus non mutare vult, non mutat, sed perperam intellegit vel reminiscitur.

— ne corrupta dicam — ut a vetere familia aberrantia non iam, cuiatia sint, perspiciantur, *b.* ea, quae aut ex linguis externis mutuata aut ex virorum doctorum usu accepta (resp. „Lehnwörter" et „mots savants") mens popularis sibi adaptat. Undeunde sunt, populus haec verba „vagabunda" solivaga esse non sinit: familiam iis assignat qua adoptentur. Haec clementia popularis sive bona seu mala fortuna adducta in quam miras incidere possit coniecturas, omnibus notum est. Ab etymologiae doctrina hactenus quoque discrepat, quod coniecturis non contenta protinus suo iure ad ipsa vocabula mutanda (sc. in loquendo et oblata occasione in scribendo) progreditur. Ratio nimirum historica hic omnino deest.

Haec autem etymologia apud omnes semper gentes plus minusve deprehenditur, ubique eandem exhibet imaginem utpote ex intima mentis humanae natura oriunda; nusquam igitur initium habet, nusquam finem. Historia ei deest, quocirca non hoc loco diutius morabimur.

Huic quasi naturali etymologiae cognata atque quodammodo superposita est etymologiae doctrina, quae hac re vel maxime ab illa discrepat, quod sibi est conscia. Iam his paucis verbis patet, quale inter haec duo genera mihi vinculum esse videatur?

Num haec ita ex illa prognata putanda est, ut sit tamquam filia suam agnoscens matrem, hoc est, ut mens humana, sui in hac re sibi conscia [1]) facta, denique iam facultatem suam sponte ac sciens dilatet atque exerceat? Numquam profecto hic locum habet analysis sui adeo subtilis, qualem Wundt in libro *Völkerpsychologie* exposuit,

---

[1]) Non satis moneri potest, idem non esse aliquid facere conscium et cogitandi ratione utentem. Facile fieri potest, ut quis cogitet, ita ut non penitus vel saltem satis sibi huius rei conscius sit (quamquam etiam hac in re multi sunt gradus, quorum summum nemo umquam attingit). Hanc rem clare illustrant Steinthal l.l. I, 18 exemplo ex veteri temporibus petito, et Bréal l.l. 7 et passim.

quam analysin inibi sequitur synthesis vel systema subiectivo-obiectivum, ut dicitur. Tota philosophia graeca ad Platonem usque, nedum ab analysi adeo minuta, a quavis mentis humanae analysi longissime remota erat, ita ut non hac via primordia etymologiae graecae ante Platonem cognoscere possimus.

At ne tenuissima quidem sui analysis hic praecedere debuit. Non, ut etymologia popularis, ex usu nata ipso humani commeatus usu continetur sensu historico omnimodo carenti. Iam primo apud poetas [1]) ad nostram omnium animi inclinationem redit, in quam proni semper quaerimus: quare? deinde quo? postremum quid?

Sed longum temporis spatium apud omnes gentes intercessisse necesse est, antequam eiusmodi quaestiones etiam ad linguam vernaculam pervenirent. Quod cum fit, ubi mens humana non iam cogitat, sed cogitare studet, tunc denique etymologia ultra etymologiae popularis fines extenditur, maiorem aggreditur molem non usu definitam, metam, quam petat, videt theoreticam, historicum arripit sensum [2]); ad summam: tunc fundamenta quamvis exilia scientiae etymologicae iacta sunt.

Maximum huius doctrinae monumentum Platonis Kratylos iamdudum aestimatus est et, quod videam, semper aestimabitur: non modo tempore primus est, sed etiam et verbis efficax et forma amplus, praecipue numero quaestionum completus earumque solutionibus gravis atque profundus, ut usque ad hunc diem nobis quoque semina uberrima contineat: admiratione magis dignus quam explica-

---

[1]) De his primordiis apud Graecos cf. Lersch l.l. III 3—18, Steinthal l.l. I 83 sq.

[2]) Homo, non iam se suoque adeo intentus contentusque ut reliqua minus videat, a se animum circum se extendit; succurrit animo intervallum spatii et temporis, videt discrepantias, haec duo in unum coniungit, ita ut unum alterum regere atque efficere putet: sensus historicus natus est.

tionem historicam nactus, quandoquidem homo tanti ingenii humanum modum quodammodo egrediens recusare videtur, quominus in hominum seriem digeratur atque hoc modo intellegatur. At fortasse ne Plato quidem tale aliquid praestitisset, nisi aliquatenus suo tempore fretus aut impeditus esset, atque aequalium vel superiorum inventis ac cogitationibus uti potuisset. Quae cum ita sint, ipsa haec superiorum rudera atque rudimenta breviter describam [1]).

Qui sua experientia doctus animadverterit, quam arcte cum huiusmodi rebus quaestio de origine linguae cohaereat, cum hac autem alia illa, utrum φύσει an νόμῳ sit lingua, necnon de ὀρθότητι ὀνομάτων quaestio, cum hisce rursus controversia de analogia aut anomalia linguae principia tenenti, a qua multa ad orationis partes pertinentia denique separare non liceat, — illum, quotiens haec quoque cursim ac strictim tractabo, veniam libenter daturum esse confido.

Omne [2]) vocabulum plus unam rem significare posse, non iam est, quod moneamus. Verum hoc non aeque in promptu est, quod ni semper nobis ante oculos obversetur, in huiusmodi quaestionibus a scopo identidem aberremus necesse est: hoc scilicet, quod notio („begrip") aliqua duobus hominibus aequalibus, nedum aetatis diversae, haud semper, immo raro etiam prorsus idem continet.

Quod quantopere sit verum, exemplo illustrabimus, quod ad rem ipsam quam maxime pertinet, historiam dico vocabulorum νόμος et φύσις.

Νόμος initio *opinio ab universis hominibus accepta*, iam apud Heraclitum [2]) in magis abstractam formam redactus significat id, quod Steinthal (p. 44) appellat *legem universalem mundi creatricem*, Parmenidi vero nihil aliud

---

[1]) Ad ea, quae sequuntur, cf. praesertim, quae scripsit Steinthal l. l. I, 44 sqq., ubi magnam observationum sequentium invenies materiam.

[2]) De Heraclito cf. insuper fragmenta, quae nuperrime edidit disposuit annotavit J. de Boer, e quibus plurima hanc sententiam produnt.

est quam *opinio popularis falsa*, Empedocli νόμῳ sunt, quae *in errore atque falso usu* constant.

Democritus, spe iam deiectus hominem sua indole fretum ad plenam veritatem posse accedere ac perspiciens quam sint relativae humanae cogitationes quantumque e sua cuiusque natura dependentes, primus id quod „*Subjectivismum*" nominamus protulit atque vocabulo νόμῳ designavit; itaque e.g. νόμῳ γλυκύ, νόμῳ πικρόν exprimit, qualitates eiusmodi in unius pluriumve tantum opinione constare, non semper et ubique apud omnes esse easdem.

Apud eos demum, qui se Heracliti discipulos praedicabant (de quibus cf. Steinthalii argumentatio) primum duo illa: φύσιν et νόμον inter se opposita invenimus; φύσει mundum intellegimus, si plenam eius adipiscimur scientiam, i. e. qualis revera (philosophice, secundum philosophos Heracliteos) sit comparatus; νόμος hic quoque est *opinio vulgaris* non rationis expers, sed sibi minime conscia. Hoc ut crederent, eos adegit magna ipsius Heracliti νόμου aestimatio.

Apud Sophistas autem magna incipit esse commutatio, cuius origo ac natura, ut semper, ipso historiae cursu et rebus contemporaneis definita est. Hi, quantopere omnia sint relativa penitus perspicientes, absolutam veritatem eiusque scientiam desperabant: ipsi νόμοι a nobis facti nostram produnt veri ac iusti scientiam; rideatur, qui iuste vivere studeat; scilicet hoc solum agere possumus, quin etiam agamus, ut uni obtemperemus duci, qui nobis restet: naturae. Proinde huic indulgeamus. Ipsam φύσιν integram ad iustam vitam agendam non sufficere, Protagoram, Hippiam [1]), alios minime fugit, sed non id agebant. Sophistaram doctrina eo tendebat — si non hunc finem appetens —, ut aequalibus vitae regulam demerent, non donarent vel mutarent. Quo factum est, ut postremum

---

[1]) Utrum serio Hippias ius φύσει natum ab illo νόμῳ definito distinxerit atque illi divinam tribuerit originem necne, cum Steinthalio diiudicare non ausim (cf. Xenoph. *Memor.* IV, 4, 19 et Steinth. p. 65 sq.).

Thrasymachus unus ex iis eo venerit insolentiae, ut contenderet: leges ut bonis moribus contrarias iustitiae non servire.

De lingua. Aliud est de vocabulis[1]) quibusdam ita iudicare, ea νόμῳ, i.e. apud populum tantum errore ductum — quam longe tunc temporis aberant a nostra opinione, quae ipsam illam populi multitudinem fontem et centrum esse linguarum vitae arbitratur! — significationem habere (id quod multi iam philosophi antea fecerant), aliud contrarium illud Φύσει : νόμῳ ad totam linguae originem et naturam applicare.

Quod antitheton, quia aetate Hippiae et Heracliteorum primum invenitur, non statim videlicet, sed brevi post ad linguam quoque adhiberi coeptum est.

Ut summatim ponam, haec fuit natura eius controversiae. Ὀνόματα τίθεσθαι, i.e. praecipue: initio τεθῆναι et τεθεῖσθαι, omnibus constabat. At quomodo? Recte, ὀρθῶς (quod ipsum variis modis secundum f i n e m explicari potest). Quid, si recte? Hoc loco bene distinguendum est inter: κατὰ φύσιν = secundum (rerum) naturam, id quod aliquatenus idem est atque recte, et φύσει, i. e. natura datum. Mihi semper occurrit, haec duo tam apud antiquos quam apud recentiores non satis secerni, eamque confusionem fontem fuisse innumerorum errorum.

Videlicet in eo iam res erat, ut quam quisque de ὀρθότητι ὀνομάτων haberet sententiam (h.e. de lingua deque eius origine, vita, facultate materiam praebendi, qua vera *rerum* natura dignosci posset), eam exprimeret formula φύσει aut νόμῳ etc., prout harum utramque boni aut mali iudicabat creatricem.

Itaque formula φύσει modo describitur origo linguae tamquam a deo vel philosopho quodam ex intima scientia secundum rerum naturam formatae; modo depingitur,

---

[1]) h. e. nomina eorumque notiones, quae duo numquam fere antiqui inter se satis internoverunt, de qua re cf. Steinthal I, 5 et 343.

quomodo ipsae res mira quadam vi quasi sui signum in priscorum hominum mentem impresserint. Rursus (sc. νόμῳ) alibi nomina opus humanum esse creduntur hominum consensu ficta et certa significatione donata: cum ipsis rebus non habent communitatem, a quovis homine vel hominum coetu abrogari, derogari, subrogari, creari possunt ξυνθήκῃ καὶ ὁμολογίᾳ, νόμῳ καὶ ἔθει (Krat. p. 384D); hoc sensu usurpantur illa ἀπ' αὐτομάτου (397a) et τῷ ἐπιτυχόντι (434a), quatenus ab hominibus nulla scientia ductis neque ullum finem respicientibus induuntur; quomodo nomina natura vel secundum naturam dari possint, isti non vident. Aliis denique φύσει idem est quod temere: natura integra et dura secundum eos quasi sponte et inscia sui agens philosophica rerum cognitione caret; quae natura sunt, nondum ad scientiam pervenerunt. Hi credunt, non nisi homines cogitantes rebus et notionibus bona atque apta nomina, e quibus ipsae res noscantur, invenire posse.

Est nulla fere in hac re cogitationum coniunctio, quae Graecorum menti occurrere potuerit neque occurrerit; quamlibet huius controversiae solutionem ipse construas: quin hic vel illic tale aliquid iam ab antiquis excogitatum invenias, non dubito. Pauca sunt, quae tam bene demonstrent, et quot et quam relativae atque diversae iam pristinorum fuerint hominum cogitationes.

De iis, qui Platoni aetate antecesserunt, pauca comperta habemus certa atque distincta. Iuxta Platonis Kratylum philosophorum scholiastae quaedam etiam alia afferunt, quibus haud temere causa non cognita fides habenda videtur. (De his cf. duae disputationes diligentissimae apud Steinthal l.l. [2] I 153—168 et 168—182).

Pythagoras. Compluribus locis nobis traditum est (cf. Steinthal p. 157 sqq.), Pythagoram iam de τὰ ὀνόματα θεμένῳ egisse, cui sapientiae locum numero illi divino secundum assignasset. Steinthal vero longa atque accurata usus expositione sibi persuasit, haec atque talia de Pythagora

tradita non φύσει θέσει, verum ea ex illo mentis statu fluxisse, qui Pythagoreismi πλατωνίζοντες nomine appellatur. Opinionis fontem fuisse arguit Ἐπινομίν dialogum et ipsius Platonis Kratylum.

Ne de re satis perplexa plura dicam, mihi quidem Steinthal causam suam obtinuisse videtur, siquidem huiusmodi quaestionem iam Pythagorae aetate philosophorum menti succurrisse iam per se vix probabile est.

Inde conicere possumus, quantum absit, ut famosa illa controversia de linguae natura φύσει an νόμῳ iam eo tempore emerserit; quae sententia quam sit aliena atque absurda iam animadvertit Steinthal l.l. p. 76A.

Pythagorae etyma nonnulla idem enumerat p. 168, quae si revera ei debentur, non aliam produnt mentem quam posterioris fuit aetatis. Verborum lusus potius videntur quam seriae enodationes. Hinc non minus quam ex religione penitus illi tempori ac sectae insita et ex notionibus semasiologicis puerilibus etyma explicari possunt, qualia sunt κόρη < Κόρη, μήτηρ < Μήτηρ, νύμφη < Νύμφη. A disquisitione sui et linguae suae legum mirum quantum etiam tunc homines distabant.

Heracliitus et Heracliteil. [1]

Platonis Kratylos atque ea, quae a Proclo et Ammonio traduntur, tantummodo in hac re nobis suppetunt. Kratylos ipse ex Heracliteorum secta, quem Plato ante Socratem audiebat, in dialogo Platonico procul dubio ad veritatem a Platone nobis depictus est. Accedit, quod etyma in Kratylo largiter venditata (cf. ib. 421C) tamquam nucleum ac principium linguae illud vere Heracliteum aperiunt, verba dico motum quendam significantia iugem necnon infinitum.

Quae cum ita sint, a vero non longe aberrabimus, si Kratylum atque eius in dialogo prolata dicta sinceram nobis

---

1) De his cf. Steinthal l.l.² 81 sqq. et 168—176. Heracliti fragmenta apte collecta et illustrata sunt a J. de Boer (Baarn. 1909).

Heracliteorum mentem ostendere credemus. Iusta vero videtur Steinthalii argumentatio, prorsus non idem esse Heraclitum eiusque diversi temporis discipulos, qui paulo ante Platonem vixerint. Quin etiam *σκοτεινὸς* ille philosophus non is est, qui rationem arcte definitam reliquisse atque a posteritate bene intellectus firmisque cum ea vinculis coniunctus esse putandus sit.

At quid scholiastae nobis afferunt? Audiamus Proclum [1]) (ad Kratyl. § 12), quae narrat de Kratylo (quem ib. § 10 Heracliti discipulum memorat): linguam, inquit, *φύσει* ortam talem credidit, quales sunt *αἱ τούτων* (sc. *τῶν ζῴων καὶ φυτῶν*) *ἐνέργειαι καὶ δυνάμεις, ὡς ἡ τοῦ πυρὸς κουφότης καὶ θερμότης.*

Ammonius sic dicit (ad Aristot. de interpret. p. 24, Steinthal p. 171, secundum Lersch I, p. 11), duo distinguens genera *φύσει* et duo *θέσει* (de quibus v. supra p. 9 sq.): *οἱ μὲν οὕτω τὸ φύσει λέγουσιν, ὡς φύσεως αὐτὰ οἰόμενοι εἶναι δημιουργήματα, καθάπερ ἠξίου Κρατύλος καὶ Ἡράκλειτος, ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ὑπὸ τῆς φύσεως ἀφωρίσθαι τι λέγοντες οἰκεῖον ὄνομα, ὥσπερ καὶ αἴσθησιν ἄλλην ἐπὶ ἄλλοις τῶν αἰσθητῶν ὁρῶμεν τεταγμένην· ἐοικέναι γὰρ τὰ ὀνόματα ταῖς φυσικαῖς, ἀλλ' οὐ ταῖς τεχνηταῖς εἰκόσι τῶν ὁρατῶν· οἷον ταῖς σκιαῖς καὶ τοῖς ἐν ὕδασιν ἢ τοῖς κατόπτροις ἐμφαίνεσθαι εἰωθόσιν*

Hae duae explicationes male inter se dissentiunt: qualem describit Ammonius, ea apud Proclum tertium locum (Epicuri?) obtinet. Hic natura efficiens magis quam illic, apud illum natura depicta per nomen, apud hunc natura depingens eodem instrumento.

Iam totus ille Procli locus [2]), tot errorum plenus, adeo inconcinnus est, Ammonii vero expositio in ea, quae in Platonis dialogo inveniuntur, tam bene quadrat, ut declarare non dubitemus, Ammonium omnino ad verum propius accessisse nobis videri quam Proclum.

Iam vero haud pauca in Ammonio quoque occurrunt, quae posterioris aevi imperfectam doctrinam luculenter

---

[1]) Et cf. Origenes c. Celsum I p. 18, laud. apud R. Schmidt, *Stoicorum Grammatica*, p. 23, A 39.

[2]) Cf. Steinthal I p. 170.

ostendunt (e. g. ordo inversus Κρ. καὶ Ἡρ.), ita ut credere liceat, eum de Kratylo eiusque aequalibus testem locupletem esse, de Heraclito vero [1]) ipso nihil certi comperisse. Immo, ipse Platonis Kratylus permulta huiusmodi enarrationibus videtur suppeditasse. Itaque nos quoque fateri debemus, de ipsius Heracliti in hac re sententia nos nihil fere scire; quin etiam, ni omnino fallor, ipsa res fert, ut posteriores, non ipse Heraclitus, huius philosophiam in linguae originem transtulerint.

De Heracliteis igitur quae constant, haec fere sunt: linguam φύσει, natura, ortam credunt, hoc est: res singulas natura ipsa illico in nobis nomen sibi respondens et sibi simile suscitare sive potius invenire, non paulatim sibi construere (ut Proclus dicit). Inde valde videtur probabile, eos linguam putasse fontem, unde vera rerum ipsarum cognitio peti posset.

Quae nobis etyma Heracliti servata sunt, ex Pythagorica philosophia vel ex Orphica potius secta manasse videntur: hic quoque lusus philosophici, quibus vocabula paene similia et notiones affines exprimentia inter se aequantur. Ab ipsa lingua hic toto caelo absumus [2]).

Democritus [3])

Proclus l.l. de Democrito quoque quaedam refert, quae quidem propter inconcinnitatem socordiamque fide carent ut, si per hoc tantum staret, hac in re de Democrito prorsus nihil nobis innotuisset. Sed Steinthal novam quasi vitam nostro inspirare conatur testimonio hanc viam ingressus: minime, inquit, probabile videtur, Platonem in Kratylo suo Marte sententias finxisse, quas aequalibus supponeret. Quod non modo audacius fuerat, sed omnino ab-

[1]) Neque in Heracliti fragmentis quicquam vel minimum inest, quod tali φιλοσοφήματι cognatum videtur. Cf. e. g. fragmenta apud J. de Boer.

[2]) Etiam compositio hic invenitur: γένεσις < πρὸς γῆν νεῦσις. ξυνόν. < ξὺν νόῳ.

[3]) cf. Steinthal l.l. p. 176—182

surdum. Atqui Hermogenes Platonicus quam personam induerit, nondum tenemus. Quidni Democriti? Hoc quamvis videatur incertum, tamen hac re fulcitur, quod Democriti sententia et Hermogenis eodem vergunt.

Qua de causa haec Democriti videtur opinio fuisse: lingua nata est, sive — ut melius dicam — fit ea ratione, quae postea vocatur θέσει. [1])

Quod ut crederet, noster quattuor causis adductus esse videtur:

a. res variae uno nomine designantur, id quod vocatur πολύσημον.

b. una res variis indicatur nominibus (ἰσόρροπον) vel nomen mutari potest, μετάθεσις.

c. ἡ τῶν ὁμοίων ἔλλειψις [2])

d. τὸ νώνυμον. [2])

Quae omnia Steinthalio causam suam probasse videntur, quippe quae partim vel omnia in Platonis Kratylo Hermogenis aut sint aut certe ei obtrudi possint. Cf. Krat. 397B, 394C, 393B, et 397B. Quamquam haud negabo, in singulis rebus Steinthalium, cuncta in Kratylo obvia esse, mihi non persuasisse.

His de causis Democritus linguam θέσει, ut dicitur, ortam esse arbitratus est neque iniuria ita arbitratus esse videtur. Qui enim et notiones et singula vocabula relativa et subiectiva — ut nunc loquimur — esse putat νόμῳ tantum definita [3]), fieri non potest, quin ei et universa lingua eiusdemmodi videatur, perfecta scientia destituta, cum intima rerum natura haud coniuncta eiusque expers. Quomodo is linguae naturam aliter animo concipere possit, non videmus.

[1]) Quo vocabulo hoc Democritus notaverit, non constat.

[2]) Haec res, apud scholiastam explicata velut analogia quaedam formalis, secundum Steinthalium (p. 181) non minus quam τὸ νώνυμον ad ipsam nominis inditionem pertinet. Num recte? Si non recte, attamen magis Democriteum quam scholiastae explicatio. Cf. praeterea Steinth. I, p. 179.

[3]) V supra p. 6 sq.

CAPUT II.

De Platone.[1]

Apud philosophos etymologia, si qua est, tam arcte cum universa linguae doctrina cohaeret, ei velut instrumentum inserviens atque ex ea originem ducens, ut ab ea nobis ordiendum sit. Contra grammatici hanc scientiam per se colunt, principia et res generales iusto, ut fit, minus considerantes. Hic suam, illic alienam agit vitam etymologia.

In Platone longe primum locum tenet Kratylus dialogus, deinde Phaedrus, Theaetetus, Sophistes. De Kratylo igitur nunc primum agendum videtur, cum praesertim quae sit ratio inter dicere (= linguam) et veram scientiam[2] hic potius disquirat, illi vero, quae sit inter dicere et cogitare (ut Steinthalii verbis utar). Ex quibus illud huc magis facit.

De Kratylo autem nostro quodammodo adhuc sub iu-

---

[1]) Praeter ea, quae iam laudavi cf. imprimis Th. Benfey, *Ueber die Aufgabe des plat. Dialog. Kratylos* (= Abh. d. Ges. der Wiss. zu Gött. 1864—1866, p. 189—330) et de re universa e. g. Windelband, *Platon* (Frommann's Klassiker der Philosophie IX) 1905.

Steinthal priores de Platonis Kratylo opiniones discussit, in altera editione etiam Benfeii coniecturam respiciens (cf. etiam Praef. ad vol. I, p. IX), haud semper laudato nomine. Dissertationem Schäublini (Basel 1891), laudatam a Steinthalio vol. II, p. IX, qua Platonis etyma cum Herodiani comparantur, consulere non potui.

[2]) Quantopere haec maxime pars apud antiquos ad nostram doctrinam spectare putetur, optime ipso „ἐτυμολογία" nomine illustratur — quod tamen primum apud Chrysippum invenitur (v. Von Arnim in Pauly-Wissowa, s.v. Chrysippus).

dice lis est, quamquam res disputationibus iam percelebrata ac minime integra est. Bis his quinquaginta annis Steinthal et Benfey, viri doctissimi atque huius rei peritissimi, in Kratylum studium suum contulerunt, ut de ceteris philosophicam tantum rationem perscrutantibus, quos apud illos cognoscere licet, taceam. Benfey Steinthali priorem editionem novit, Steinthali altera Benfeium respicit. Ex his duobus summam tantum referre liceat, ut deinceps, quid de Platone in Kratylo deque eius etymis sentiam, exponam.

Th. Benfey. Postquam ratione critica superiorum sententias excussit, Steinthalii quoque opinionem recusat de Platone quasi scientiam etymologicam concipiente eodemque tempore desperante (de qua re vide infra p. 24 sq.). Benfeio iudice neutri rem acu tetigerunt, neque qui Platonem linguae naturam φύσει, nec qui νόμῳ explicasse censeant. Cum Stallbaumio hoc tamquam caput totius dialogi proponitur: [1] „.... wird nachgewiesen, dass die Kratylos'sche „Auffassung der wirklichen Sprache eine Richtigkeit der „Wörter ermöglicht, so wird im Gegensatz dazu behauptet, „dass die Möglichkeit einer richtigen Sprache in der Ideeën-„lehre gegeben sei, ähnlich wie sie auch im Gegensatz „zu dem unrichtigen wirklichen Staat die Möglichkeit eines „richtigen Staates gewährt. Diese ideale Sprache wird nur „angedeutet, ähnlich wie im Politikos der ideale Staat." (de hac sententia v. infra).

Iustis igitur [2]) Socratis postulatis lingua non satisfacit. Iure suo in fine commentationis [3]) Benfey autumat argumentum dialogi nostri esse de ὀρθότητι ὀνομάτων, quod vero Platoni nihil aliud fuerit quam ansa et praetextum, primarium autem consilium, ut, cum linguam qua utimur nulla continere vocabula demonstrasset omnibus numeris perfecta et clara, linguam veram atque ipsam rerum naturam

---

[1]) Benfey l.l. p. 222.
[2]) ib. p. 274.
[3]) ib. p. 317.

declarantem non nisi ex Idearum fundamento construi posse ostenderet; neque vero eo minus Platonem linguam quam habemus ad usum cottidianum idoneam censuisse, quippe qua id tantum ageretur, ut nos invicem intellegeremus.

Tum vero de parte etymologica (Krat. p. 393—422) suam profert sententiam [1]): sunt etyma, quae Plato serio proposuerit atque vera esse ipse crediderit, sunt etiam quibus fidem non habuerit, immo quae deridenda duxerit, inter quae plurima a superioribus mutuata. Illo tempore cum certam viam rationemque hauddum invenissent, fieri non potuit, quin haec atque talia per cavillationem potius quam cum admiratione acciperentur. At si Plato exemplis illustrantibus non credidit, nequaquam rei illustratae! Ut qui sanscr. pañca (= quinque) a pâṇis (= manus) ortum esse perhibens laudabilem proponit opinionem falso — suo quoque iudicio — usus instrumento (etymologia). Quod perspiciens, num recta essent e t y m a i p s a, non quaerebat: talia nihil morabatur. Immo, ex istis etymis luculenter apparere Benfey censet, quantopere linguam naturalem Plato aspernatus sit. [2])

Praeterea Benfeio auctore etyma nostra aestheticum quoque finem petunt, scilicet ut gravi disputationis tenore interrupto in his ludicris animum paulisper requiescere sinant. [3])

Steinthal. Steinthal, [4]) ut par est, idem atque Benfey

---

[1]) Ib. 262, 266 sq., 272 sqq.

[2]) Ib. 277, cf. ipsius verba: „jene Verachtung der wirklichen Sprache", qualem ista etyma ostendant e.q.s.

[3]) Tertium huic rei inservire ea dicit B., ut *ex his* Plato Heracliti de motu perpetuo disciplinam refutaret, h. e. non iis usus ut lumen tantum rei demonstrandae afferentibus sed ut re vera argumenti vice fungentibus. At, quaeso, quomodo? Istud repellere Plato conatus esset armis, quibus ipse haud multum confideret?

Quis umquam credat, plus tertiam dialogi partem in lectorum tantum delectatione insumpsisse Platonem, cuius dispositio et compositio iure semper laudetur?

[4]) Cf. imprimis Steinthal p. 85, 107 sqq. Steinthalii editio altera, licet non prorsus secundae curae sit et volumen secundum maiorem

agnoscit dialogi esse caput, sc. ὀρθότητα ὀνομάτων: ab hac re toties ab aequalibus volutata initium capit, de hac re agit. Verum argumentum, h. e. quod quis dicit, longe distat ab orationis sensu atque mente h.e. quod quis dictis exprimere vult. Hoc igitur Plato dicit vel dicere vult: lingua naturalis est νόμῳ, non qualem eum sibi fingit Hermogenes Platonicus, sed Plato ipse (v. infra p. 22); in ὀνόμασιν verum inesse potest, non debet: ipsa veritas sedem habet in Ideis. Cum iis natura h. e. semper λόγος coniuncta est, non ὄνομα.

Quod ad etyma, sic fere disputat: scientiam quandam etymologicam Plato sibi adumbravit et quodammodo praesagiit, sed idem non minus clare intellexit, neque sibi neque aequalium cuiquam contigisse, ut hanc firmis fundamentis poneret doctrinam, quae et se contenta foret et praeterea id ageret, ut e vocabulis parvam atque exilem veri notitiam in iis latentem eliceret.

Ingenue fateor, me posthabita Steinthalii sententia primo in Benfeii cessisse partem; deinde vero, quotiens rem mecum volutabam, Steinthalii [1]) opinio de etymis deque universa Platonis linguarum aestimatione magis iam magisque mihi arridere coepit. Quomodo enim res se habet? Apud Benfeium Plato depingitur, qualem in Republica eum invenimus: praeter Ideas [2]) nihil non neglegens, ad ipsarum Idearum normam omnia dirigens, immo credens et sperans iam in hac vita civitatem repraesentari posse, quae Ideis ipsis respondeat. Steinthal vero in hoc dialogo Platonem illum potius sibi fingit, quem in Legibus deprehendimus: summa quidem rerum est in Ideis, sed perfecta harum imitatio non huius est terrae; at si non

---

ex recensione fructum ceperit, tamen, ut quae a philosopho scripta sit, in priore magis volumine (quod de parte philosophica agit) usque ad hunc diem suo pretio stat.

[1]) Cf. ipsius Steinthalii de Benfeio observatio l.l. I p. 22A.

[2]) De hac re deque universa Platonis aestimatione hodierna cf. Windelband, *Platon* (passim).

Cf. etiam quae p. 38 sq. disserui.

ab omnibus partibus completa, attamen parva quidem veritas in rebus humanis latet, quae ut eruatur digna est. Illic Plato idealem quandam linguam concepit, lingua naturali eiusque indagatione spreta: hic tale quid ne informavit quidem; illic nobis ante oculos obversatur Plato numquam dubitans neque suspensus, sibi constans, certus, absolutus; hic paululum haesitans, praesagiens magis quam demonstrans, adumbrans non depingens, cum sui temporis studiis, cum aequalibus arcte connexus, ad summam, talis qualem in Kratylo exspectare par est.

Ne temporis ratione habita Kratylum Reipublicae quam Legibus propiorem esse dicas Platonemque civitatem quidem „Idealem" dubio procul secum informasse, breviter moneo, Platonem — id quod ipse Kratyli dialogus satis superque demonstrat — numquam in hac re linguam civitati aequasse. Clare perspexit, cum civitatem secundum Ideas constitutam magis quam huiusmodi linguam necessariam esse, tum linguam vinculo tenaciore cum ipsis hominibus esse „cognatam", ita ut mutationes arbitrarias semper esset repudiatura.

Accedit, quod Steinthal suam de νόμῳ probatam sententiam diligenti posteriorum dialogorum expositione tantopere fulcivit, ut Platonem vere historicum, quaerentem etiamtunc necdum finem emensum, ante oculos nobis posuisse putandus sit [1]).

Quibus rebus adducor, ut Platonem si non omnibus Kratyli etymis [2]) credidisse, attamen per illa suas de etymologia cogitationes diligenter reddidisse vel potius illustrasse persuasum habeam [3]).

Iam vero ipsius dialogi summam breviter percurram.

---

[1]) Steinthal ll. p. 150 sq. et 111.

[2]) Vide supra p. 13.

[3]) Cf. de hac re etiam C. Ritter, *Platon* (1910) I, p. 476, ubi legitur: „— diese Beispiele — lassen erkennen, dass Platon wirklich Verständniss hatte für gesundes Etymologisieren".

Socrates in duos ex amicis altercantes incidit, Kratylum et Hermogenem, hoc est: Plato de hac re controversa duas opiniones cognitas habebat. Altera, quam Hermogenes (= Democritus?) amplectitur, sensu caret historico, in praesenti tantum rerum statu vivit et ad eius usum spectat: unusquisque nostrum in nominibus rebus imponendis „theoretice" plena utitur libertate, sed communis vitae usus eum cogit id quoque agere, ut ab aliis intellegatur, quocirca ex aliis pendet; quod ni esset, quodlibet nomen impositori sufficeret. Nunc igitur ratio, quae inter notionem et nomen eius (hoc est vocabulum) intercedit, ξυνθήκῃ et ὁμολογίᾳ inter homines continetur.

Sententiam hercle parum elatam, immo planam, quaeque qua ratione lingua his postulatis respondens in singulis rebus oriatur, non amplius aut nondum inquirere curat! Hic solutio qualiscumque aut desperatur aut non desideratur.

At iam Kratyli rationem, quem Plato ante Socratem audiebat, percenseamus. Secundum hunc unaquaeque res suum sibi habet nomen, nullius voluntati subiectum; id demum est, non dico verum nomen, sed omnino nomen, quod apte et bene rem suam designet. Si secus facit, non iam nomen est. Itaque nomen est id, quod secundum naturam — φύσιν —, hoc est bene — ὀρθῶς — rem nominat. [1])

Quis dialogi tenor ex his consequatur, paucis exponam. An unaquaeque res suam habet naturam? Videlicet Plato hanc quaestionem affirmat, quo eum sequitur Hermogenes. Plato nunciam demonstrare aggreditur, omnia n a t u r a e c o n g r u e n t e r agenda esse: eum, qui nomina rebus indat, haud minus artem exercere quam quemlibet artificem, puta fabrum tignarium. Atqui huius artem nemo exercet, nisi qui eam noverit. Ergo nominis etiam datio, utpote ars, numquam bene, hoc est secundum artis indolem, exerceri poterit nisi ab eo, qui nominis condicionem penitus perspexerit. Nomen, inquit Plato, instrumentum est nomi-

[1]) Etiam id, quod Wundt, *Völkerpsychologie* [2] (II, 2, 629—633 ubi videas) „Wundertheorie" appellat, in nostro dialogo non deest: cf. p. 425 D.

nationis, sicut terebra terebrationis. Verum ut terebra fit ab alio, ab alio probatur, scilicet ab ipso fabro tignario, eodem modo nomina fiunt a nominum impositore (ὀνομαστικός. Krat. p. 424 A, ὀνοματουργός, p. 388 E), at ponderantur ab eo, qui iis utitur κατ' ἐξοχήν, qui vere loquitur, hoc est, a sapiente, a dialectico.

Verum qua iudicandi regula in hac re utantur nominum impositor et sapiens noster? Ad Idearum normam ea aestiment, Plato ait: in his, non in elementis illis veterum physicorum et metaphysicorum vera natura latet [1]).

Huic parti insertus est locus, ubi agitur de νόμῳ, qui locus nondum satis bene defensus esse neque fortasse plane probari posse mihi quidem videtur. Quis παραδίδωσι τὰ ὀνόματα, quis ea adservat? Ὁ νόμος, Hermogenes Platoni respondet. Hinc res sensim eo deducitur, ut ὁ νόμος, qui ut certus usus cottidianus et alia et nomina quoque tradit, etiam nominum d a t i o n i praesidere putetur; ne multa, ὀνοματοθέτης vertitur in νομοθέτην, tamquam huic insinuatus. Quem locum legenti ac relegenti (p. 388D — 389B) Steinthal [2]) mihi persuadere non potuit, haec cum sequentibus et praecedentibus arcte cohaerere atque ipso dialogi tenore aliquatenus postulari. Unde haec, quae non videntur esse recte cogitata? Quo eadem, si parum sunt necessaria? An hoc efficere voluit, ut illam controversiam de φύσει aut νόμῳ dirimeret, hoc loco iam νόμον tamquam φύσεως conservatricem ostendens eique quodammodo supponens? Haec Steinthalii sententia [3]) est; quicumque, opinor, semel perspexerit, quantopere noster locus sit quaesitus et parum aptus

---

[1]) Krat. cap. IX.

[2]) Steinthal p. 92, ubi et alia dicit et haec: „wenn die Sprache wie tausend andere Dinge durch den νόμος überliefert wird, wenn νόμος ja weiter gar nichts andres ist als Ueberlieferung, warum sollte denn nicht der Urheber des νόμος, alles Ueberlieferten, zugleich auch Urheber der Sprache sein?" Quod quomodo sibi persuaserit, equidem non video. Ni fallor, locum tuetur et in medio ponit, qui suam de νόμῳ sententiam defendere videatur.

[3]) Cf. Steinthal p. 94.

(quamvis enixe h o c Steinthal neget), propter id ipsum forsitan tale aliquid hic latere suspicetur.

Iam in eo res est, ut Socrates-Plato Kratylo — verbis quidem, non re vera – concedere videatur, linguam factam esse (et fieri ?) φύσει, eamque tradi νόμῳ (<φύσει).

Hic iam dialogi quasi cardinem invenimus: non procedere pergit, sed tamquam meta contacta ad carceres recurrit. In iis, quae sequuntur, Plato Hermogenis causam suscipere, ea autem, quae in parte priore dixit, irrita reddere videtur. Sed videtur tantum. Praeterea, ut illa sunt seria placidaque ratione demonstrata, ita sequentia sunt iocosa, saepe satirico quodam colore perfusa: indicia potius quam argumentationes sunt.

Hermogenes [1]) igitur fateri cogitur, linguam esse φύσει factam; at, inquit, si haec ita sunt, dicas mihi quaeso, q u a r a t i o n e lingua φύσει oriri possit.

Capitibus sequentibus (XII—XXXIV) Plato igitur suas de hac re opiniones exponere conatur, qui locus haud iniuria mala fruitur fama propter tenorem cavillationum plenum, quae ut negari ita ex omni parte explicari atque intellegi nequeunt. Permagnum numerum etymorum nostro quidem iudicio absurdissimorum proponit. Haec verborum enodatio (de qua vide infra) nostrum ad doctrinam suam adducit, quae praecipue ὀνοματοποιΐᾳ nititur (cap. XXXVI). Exemplis probare conatur, singulis litteris primitus quandam esse innatam vim: ρ e. g. κινήσεως habet significationem (426 C) ἑώρα γάρ (sc. ὁ τὰ ὀνόματα τιθέμενος), οἶμαι, τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ ἥκιστα μένουσαν, μάλιστα δὲ σειομένην (426 E); de l littera hoc dicit (427 B): ὅτι δὲ ὀλισθάνει μάλιστα ἐν τῷ λάβδα ἡ γλῶττα κατιδών, ἀφομοιῶν ὠνόμασε τά τε λεῖα καὶ αὐτὸ τὸ ὀλισθάνειν καὶ τὸ λιπαρὸν καὶ τὸ κολλῶδες καὶ τἆλλα πάντα τὰ τοιαῦτα.

[1]) Operae pretium est cognoscere, quam recte et facete Plato nobis Hermogenem illum depingat: Hermogenes usum cottidianum videns, non perspiciens, diligens, subtilis in eiusmodi rebus inquirendis, statim quaerit: quomodo? et quare?, ut plurimi hodie quoque, ac nescius rem, ut fit, poscit difficillimam. Contra Kratylos, magis Platonicus, talia non curat, theorematis addictus quae „a priori" concepta v i t a e parum adaptantur, his solis intentus contentusque.

Profecto haec aeterna admiratione digna sunt: Plato enim hic non solum ipsam ὀνοματοποιΐας naturam clare perspexit, sed alta divinatione fretus vinculum quoddam causale inter litterae significationem atque eius formationem physiologicam (id quod hodierni appellant: „Bewegungsgefühl") in ore nostro suspicatus est. Hoc loco Plato, id quod per se iam mirandum est, tamquam proavus doctrinae phoneticae nobis ante oculos obversatur.

In fine autem dialogi ratiocinatio Platoni mutatur. Postquam contra Hermogenem Kratylo se adiungens demonstrasse se simulavit, nomina φύσει res designare, nunciam contra Kratylum arguere videtur, ita ut priora sua dicta vere refutet. Nam Kratylum aggreditur, qui autumat neque semel repetit, ea demum esse nomina, quae perfecte rerum naturam exprimant; sin minus, non esse mala nomina, sed omnino non esse nomina. Longa altercatione eo usque eum compellit, ut fateatur, et bona et minus bona exstare nomina; quin etiam, omnia nomina aliqua ex parte imperfecta esse debere, quod si secus esset, non iam nomina fore, sed velut altera rei exemplaria. Iam vero huic parum, illi multum, omnibus aliquantulum desit necesse est, ait Plato (432 C). At mala quoque nomina suo officio funguntur, quippe quae homines non minus bene intellegant propter conventionem (ξυνθήκην) et consuetudinem (ἔθος), quarum illa nomini propriam tribuit significationem, haec conservat. Immo, inquit Plato, hic totius rei nucleus est; at famosa illa ὁμοιότης rei cum rei nomine etiam nimis angusta et minuta (γλίσχρα) videtur (435 C).

Quantum mutatus ab illo, quem ante conspeximus: ὁμοιότης illa non negatur, in nominibus adesse p o t e s t, n o n d e b e t [1]); verum ξυνθήκη et ἔθος [2]) efficiunt id, quod

---

[1]) Qua de causa in aliis nominibus ὁμοιότης adsit, in aliis desit, Plato neque exposuit neque, opinor, exponere ei facile fuerat.

[2]) Cf. imprimis p. 435 B: — οὐκ ἂν καλῶς ἔτι ἔχοι λέγειν τὴν ὁμοιότητα δήλωμα εἶναι ἀλλὰ τὸ ἔθος.

solum linguae incumbit officium, ὅτι [1]) ἐγώ, ὅταν τοῦτο φθέγγωμαι, διανοοῦμαι ἐκεῖνο, σὺ δὲ γιγνώσκεις, ὅτι ἐκεῖνο διανοοῦμαι (434 E).

Ex his sequitur linguam non fontem [2]) esse, ex quo ipsarum rerum scientiam haurire possimus. Quo tandem nos vertamus, ex Kratylo quaerit Socrates, ut ad hanc intimam cognitionem perveniamus? Hic luculenter Plato Ideas tamquam fontem illum proponit, commendans cogitationem abstractam quae dicitur, linguam aspernantem supraque eam se attollentem, ubi dicit (438 E): „ἔστιν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὦ Κρατύλε, δυνατὸν μαθεῖν ἄνευ ὀνομάτων τὰ ὄντα, εἴπερ ταῦτα οὕτως ἔχει."

Si haec omnia brevi formula amplecti velimus, dixerimus: Plato postquam in nostri dialogi primordio postulasse visus est, unumquodque nomen rei naturae, i.e. Ideae identidem simile esse, nunc hoc tantum ponit, nomina generatim Ideae nominis respondere, h.e. ut homo homini per linguam id, quod vult, declarare possit.

Supra (p. 18) iam de Steinthalii sententia mentio facta est, qua Plato disciplinam etymologiae sperasse idemque desperasse putatur. Ut Steinthal mihi Platonis mentem universam clare dignovisse videtur, ita illud [3]): „Plato hätte „gar zu gern eine Wissenschaft der Etymologie gesehen, „und da sie noch nicht da war, selbst gegründet" eius indoli atque naturae parum videtur accommodatum. Ab Aristotele, ni fallor, tale quid non alienum fuisset, a Platone omnino est.

Sic igitur rem mihi fingo. Plato, hoc dialogo quaestionibus gravissimis intentus, strictim etiam linguae originem tetigit, in qua detegenda viri docti hodierni vix propius ad metam accesserunt. [4]) Dixit hac de re,

---

[1]) Haec quamquam dicuntur de ἔθει, tamen prae huius momento ad universam linguae naturam pertinent.

[2]) Cf. p. 435 D: KP. Διδάσκειν ἔμοιγε δοκεῖ, ὦ Σώκρατες, καὶ τοῦτο πάνυ ἁπλοῦν εἶναι, ὃς ἂν τὰ ὀνόματα ἐπίστηται, ἐπίστασθαι καὶ τὰ πράγματα.

[3]) Cf. Steinthal I, p. 99.

[4]) Quot quantaque semina hodie quoque fructum ferentia noster

quae nostram admirationem semper movebunt, ut vates divinatione potius fretus quam philosophica argumentatione. At idem — id quod fortasse haud minus admirari debemus — clare perspexit neque fateri veritus est, ea, quae indagasset, neque satis bene neque omnia explicare vocabula, quorum originem scrutaretur. Non tam suae etymologiae rationi, quam eius in singulis rebus usui diffisus esse videtur. Unde factum est, ut Plato — id quod psychologica ratione optime explicari potest neque a Platonis indole putetur alienum — opiniones de linguae origine atque etyma suam in hac re sententiam illustrantia proposuerit saepe per iocum, nonnumquam etiam ludens illa ironia sui et aliorum qua, ut etiamnunc fieri solet, motus animi nostri successu malo contenti mitigare conamur. Ipsum audias, ubi suas opiniones ludibrio habet ut ὑβριστικὰ καὶ γελοῖα (428 D).[1])

Id eo facilius a se impetrare potuit, quo etymologia minus in mente eius praeponderabat. Id egit, ut auditores a lingua tamquam falso scientiae fonte deterreret (falso et per fontis naturam et propter etymologiae instrumenta nondum satis spectata). Sic eum iam e longinquo et tecte quasi digito monstrantem videmus Ideas, in quibus solis verum, certum, firmum, immutabile versetur, quaeque sint argumentum κατ' ἐξοχήν, quod mente ponderemus ac perpendamus.[2])

At rursus pluribus locis per ea, quae dicta quaeque dicta non sunt, in aperto est, Platonem non primo loco fuisse virum historicum, eiusque sensum historicum Aristotelis imprimis imparem fuisse: origo linguae non per se, sed

---

dialogus exhibeat et alibi legi potest et apud Wundt, *Völkerpsychologie*[2] II, 2, 614—633.

[1]) Cuius rei analogon nuper offendi in Fr. Paulseni libro: *Immanuel Kant*, ed. 5, ubi (p. 93, A) Kantii epistola in hunc fere modum finem habuisse narratur: „So habe er, um dem Spott Anderer zuvorzukommen, selbst zuerst über sich gespottet (sc. Kant ipse)".

[2]) Cf. quae Steinthal p. 111 de indole propaedeutica huius dialogi dicit.

propter Ideas tractata ei minoris momenti est; parum diligenter νόμον, conservatorem, cum ipsa linguae creatione aequat; observationes phoneticae (e.g. p. 393 D et 394 B) semper fere describunt et enumerant, non explicant neque evolvunt. Haec indicia satis iam sunto. Sed enim id aliter comparatum esse non potuit in homine, qui Idearum doctrinae fundamenta posuit: qui rerum naturam (sensu parum etymologico!) potissimum spectat, idcirco iam rerum progressum minus curat, deinde minus intellegit, postremo aspernatur. Atqui Plato fuit is, qui mundi spectaculum semper mutabile ac varium tamquam speculi [1]) simulacrum contemplaretur vel — si ipsum audimus — umbram Idearum immutabilium necnon aeternarum [2]).

Haec brevis expositio sufficiat ad demonstrandum, cur Platonis rationi etymologicae et maximam partem ipsis quoque etymis fidem non denegandam esse censeam [3]).

Quam potest brevissime, nunc Platonis etyma recensebimus, ex tabulis nostris ea tantum afferentes, quae notatu videbuntur dignissima.

Longe maiorem vocabulorum partem per compositionem explicat; pauca admodum a singulis verbis derivantur aut iis aequantur: e.g. Ἄτρευς (395 B), θέος (397 D), Πλούτων (403 A) et δαίμων (398 B), σῶμα (400 C), γυνή (414 A).

Compositio vocabula ostendit usque ex quattuor conflata partibus (cf. Σελήνη = Σελαναία < σελα/ενο/νεο/αει/α 409 B), quae

---

[1]) Cf. Steinthal quoque, I[2] p. 147 sq.

[2]) Multa hic afferre possum, quae mirum observandi acumen Platonis manifestum reddant, e.g. quod animadvertit, mulieres melius semper diutiusque linguae proprietatem quandam conservare quam viros (cf. hac de re Cic. de Or. III, 12, 45; Usener, *Ein altes Lehrgebäude* (v. supra p. 1); Norden, *de Aelio Cosconio Varrone commentatio*, p. XI A.

[3]) Accedit, quod Plato in Phaedro (p. 244 C) eiusdem generis etyma serio afferre videtur: μανικήν > μαντικήν, οἰονοϊστική (= οἴησις, νοῦς, ἱστορία), quod homines σεμνύνοντες mutaverunt in οἰωνιστική. ἔρως = ἐρρωμένως ῥωσθεῖσα ἐπιθυμία (ib p. 238 C), ἔρως = πτέρως (ib. 252 B). Quae apud Steinthalium partim iam inveniuntur.

ipsae iam compositae esse possunt cf. 422 A (e.g. *δικαιοσύνη* 412 C = *δίκαιος* (ib. E < *διαϊὸν* + *κ* aut *διαϊόντα καὶ κάοντα* 413 B) + *σύνεσις* (< *συνιέναι*, 412 A). Haec atque talia, ut Platonis vocabulo utar, e *ῥήματος* [1]) in *ὄνομα* conflantur [2]), cuius generis insignia habes specimina in: *Διΐφιλος* (= *Διὶ φίλος*, 399 A), *ἀνάγκη* (= *ἀν' ἄγκη* 420 D), *ὄνομα* (*ὄν, οὗ μάσμα*! 421 A).

Interdum unum *ὄνομα* ad plura refertur *ῥήματα* vel *ὀνόματα*, e.g. *Ἄτρευς* (ter, 395 B), *Τάνταλος* (ib. E), *ἥρως* (398 D), *Ποσειδῶν* (403 A), *Ἀπόλλων* (405 A—E) [3]); etiam, id quod rarius fit, unum *ῥῆμα* in duo finditur *ὀνόματα*, 396 B: *δι' ὃν* [4]) *ζῆν ἀεὶ πᾶσι τοῖς ζῶσιν ὑπάρχει*, ex quo homines *διελόντες αὐτὸ διχῇ* fecerint: *Δία* et *Ζῆνα*; idem est in vocibus *ἐνιαυτός* et *ἔτος*, quae ex: *τὸ ἐν αὑτῷ ἐτάζον* originem ceperint (410 D).

Eadem vitia, quae postea ingruunt, partim iam hic deprehenduntur: sic, ubi duo verba idem significantia in unum confluxisse putantur (402 D *Τηθύς, ἐκ τούτων ἀμφοτέρων*, sc. *τὸ διαττώμενον καὶ τὸ ἠθούμενον*), vel ubi ex certis declinationis formis auxilium etymo petitur (414 A *θήλη* — *ὅτι τεθηλέναι ποιεῖ*.) Quo usque hanc viam ingressi progredi possint, duobus documentis satis notis illustrare liceat: *Ἥρα* (404 C = *ἀήρ* et < *ἀήρ*, quod manifestum fit, *εἰ πολλάκις λέγοις τὸ τῆς Ἥρας ὄνομα, ἤρ[α ἤρ]α* [5]) et *Ἀθηνᾶ* (407 B), ubi ipsa articuli forma, sc. *ἁ θεονόα*, arguit hoc nomen ex articulo et adiectivo esse compositum. Cf. *ὁ σείων* > *Ποσειδῶν* 403 A.

---

[1]) De hoc vocabulo fusius egit Th. Benfey in epilogo commentationis s.s., et Steinthal brevissime p. 141. Clarum huius rei exemplum invenies p. 399 B.

[2]) Hoc variis modis Plato exprimit: *ξυγκεῖται* 402 D, *συγκεκροτημένον* 409 B, cf. 415 A, 415 D, 416 B, 422 B et A, cui opponitur *διακεκροτηκέναι* 421 C iocose dictum.

[3]) Haec atque talia etyma quam late serpant, apparet ex Macr. Sat. I, 17, 7 et 14, ubi Ianus in editione huius nominis veriloquia undique in unum congessit.

[4]) Iovis etymon tam ineptum non Platonis tempore solum excogitari potuisse, efficitur ex Paul. Fest. p. 2, 14 M.: aqua dicitur, a qua iuvamur! Verbum iuvandi, a quo Iovis et Iunonis nomina a Romanis derivantur, forsitan aliquam cum veriloquio Platonico habeat cognationem.

[5]) Ib. *θεὶς* (sc. *ὁ νομοθέτης*) *τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τελευτήν* (sic *ἀηρ* > *ηρα*!)

Saepe vocabula eiusdem (sc. Platonicae) radicis usque ad ultimum eius familiae elementum prosequitur: e.g. θῆλυ< θηλή< θάλλω< θεῖν καὶ ἄλλεσθαι (414 A). Quae elementa ubi indagavit, aut verba plerumque movendi [1]) inveniuntur (cf. imprimis 402 A sqq.) aut barbara esse perhibentur (cf. 409 D—410 B), quod ultimum refugium Plato considerat, ubi nulla alia via supersit: cf. 410 A: ΣΩ. Οὐ τοίνυν δεῖ ταῦτα (sc. ὀνόματα βάρβαρα) προσβιάζεσθαι, ἐπεὶ ἔχοι γ'ἄν τις εἰπεῖν περὶ αὐτῶν. τὸ μὲν οὖν πῦρ καὶ τὸ ὕδωρ ταύτῃ ἀπωθοῦμαι· [2]) cf. idem 416 A, 421 C, 425 E.

Haecine etyma omnia e Platonis mente fluxerunt? [3])

At quid hoc ad rem? Veri est simillimum, hanc eius rationem ab aequalium nihil aut non multum discrepasse. Etyma, quae apud superiores invenimus, eadem sunt vel τοῦ αὐτοῦ κόμματος. Ipse memorat: Ophicos (400 C), Heraclitum (401 D et 402 passim), Euthyphronem (399 E et 407 D) [4]). Nihil igitur prohibet, quominus nonnulla veriloquia etiam superiorum et aequalium Platonis in hunc dialogum manasse credamus.

De re phonetica. De re universa dici potest, Platonem in divinando consonantes semper melius respexisse quam vocales: illae tamquam ossa verbi ei erant, quibus vocales maiore licentia inseri posse putaret: cf. e.g. Λητώ (406 A),

---

[1]) Noster ad tantam processit audaciam, ut ipsum τοῦ ὄντος vocabulum tamquam τὸ ἰὸν explicaret, quod lepidissime defendit, exemplum οὐκὶ ὄν distinguens: οὐκ ἰὸν (421 B).

[2]) Cf. aliis verbis p. 426 A: αὗται γὰρ ἂν πᾶσαι ἐκδύσεις εἶεν καὶ μάλα κομψαὶ τῷ μὴ ἐθέλοντι λόγον διδόναι περὶ τῶν πρώτων ὀνομάτων, ὡς ὀρθῶς κεῖται.

[3]) Hac de re locus insignis est 413 D, quem sic interpretor: Plato conscius sibi erat, se aliquot ex etymis modo propositis ab aliis mutuasse. Iam vero ut erat ad ironiam propensus, reliqua etiam tamquam aliena repudiare quam ut sua tollere maluit, quippe quae sibi parum satisfacerent.

[4]) Vocabuli Κρόνος duo proponit veriloquia (396 B et 402 B), unum Platonicum, alterum „Heracliteum". Hicine igitur vestigium alienae etymologiae deprehendimus? Quod affirmare non ausim.

ubi littera (quod saepe in participiis obvia est?) scrupulum ei non moverit, ε̃ vero s u a m requirat originem. Etiam alioquin eius etyma haud prorsus ratione quadam destituta videntur, atque hic illic multum apud eum valet indistincta quaedam analogiae notitia [1]) vel sensus potius, quo ductus formas construere audet hypotheticas : cf. οἰόνους (406 C), Εἰρέμης 408 A), ἀναστρωτή (409 C), βουλαπτεροῦν (417 E), εὐφεροσύνη (419 D).

Haec autem ῥήματα vel formae positae causis variis in hodiernam formam vertuntur: mutatione litterarum qualitatis, quantitatis, loci, litterarum demptione vel additione. [2]) His causis vocabula parte sui tamquam *privantur* e. g. ταρακλινει 395 B ἀποδιδόναι 419 A, B). Cf. imprimis 418 E i.f.

Per significationem licet — Platone iudice —, singulae litterae, immo totae syllabae [3]) addantur vel auferantur (393 D), quod exemplo τῶν φαρμάκων confirmare conatur, in quibus τὰ προσόντα nihil ad rem faciant.

Apud Platonem vocabula non per se in hominibus, verum ab hominibus mutantur, ita ut illud: εὐστομίας ἕνεκα (404 D,

---

[1]) Sic, ubi (419 B) ζημία ex δέω (ligare) + ἰόν componit, fortasse ei δεσμός vocabulum menti obversatum est.

[2]) Loci, quibus observationes phoneticas affert, sunt hi (ubi videas): p. 394 A, B, 395 B, 398 C. D, imprimis 399 A. B, 400 C, 402 E, 403 A, 404 C, 405 D, 407 B. C, 410 A, 411 E, 413 E, 414 C et imprimis 414 D, 416 B, 417 B, 418 A — C, 419 B, 420 B, 421 B.

Inter eius rationes etiam metathesis quaedam agnoscitur tam vocalis et consonantis (e.g. φυσέχη >ψυχή 400 B) quam consonantium (e.g. ταλάντατον < Τάνταλον 395 E). Reliquae coniecturae, imprimis additionis et demptionis, adeo arbitrariae sunt, ut quicquam certi ex iis vix elici possit: puta illud pessimi exempli: λλ ἀντὶ τοῦ σῖγμα 402 E. De accentu insignis observatio exstat p. 399 A et B, haud scio an nimis neglecta usque ad hunc diem.

[3]) Quod ibidem dicit, nihil referre, ut prorsus aliud vocabulum supponas, optime philosophum prodit, cui significatio ipsa res, vocabulum tantummodo quasi rei vestimentum est. Verumtamen hoc loco Plato iniuria non distinguit vel non distinguere se simulat vocabulum temporis cursu mutatum idemque tamen atque antea significans et diversa vocabula eodem tempoore idem significantia.

414 C, 421 E, cf. 414 D: *τὸ δὲ στόμα πλάττοντες*) sic accipi debeat: homines c o n s c i o s hanc efficere mutationem. Haec est una ex causis, cur homines vocabula mutent, sc. ut facilius loquantur. Aliae sunt, ut verum sensum abscondant[1]), aut ut vocem dignitate et pulchritudine augeant[2]). Plerumque autem ipse temporis cursus plurimum valet, nullum certum petens finem[3]).

De re semasiologica. Quod ad rem semasiologicam attinet, paucis haec pars absolvenda videtur, quia apud Platonem laxa nimis atque indefinita est. Quis enim non videt, Platonis illud *ῥῆμα*, ex quo *ὄνομα* saepe conflatum esse putatur, infinitum paene coniecturarum numerum aperire: cf. e.g. *ἄνθρωπος* (< *ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε* 399 C) et *ὄνομα* supra memoratum (421 A). Si quis haec genera improbo labore distinguere et in tabulas redigere suscipiat, vereor ne irritum faciat laborem: enumerabit nimirum, quot huiusmodi genera apud Platonem exstent, minime, cur identidem hanc ipsam explicandi rationem inierit.

Ad summam, res apud Platonem appellantur aut secundum qualitatem, aut secundum actionem, aut ab ea re, quam habent (cf. bahuvrīhi-composita), sive simplicia nomina sunt sive composita. Unde fit, ut persaepe ex

---

[1]) Cf. *ἐπικρυπτόμενος* 404 C, *ἀποκρυπτόμενος* 395 E cf, 421 B.

[2]) Cf. *κομψευόμενον* 400 B, *παραγαγών — ἐπὶ τὸ κάλλιον* 407 B, *καλλωπίζοντες* 408 A, *καλλωπισθεῖσα* 409 C, *ὑπὸ τῶν βουλομένων τραγῳδεῖν αὐτὰ* cf. 414 C, 418 D, *καλλωπισθέν* 417 E, *μεγαλοπρεπεστέρα* 418 C, *εὐπρεπείας ἕνεκα* 402 E, *ἐπὶ τὸ κάλλιον* 407 C. Cf. (ironice dictum?) *ἡ μὲν νέα φωνὴ ἡμῖν ἡ καλὴ αὕτη* 418 B.

[3]) Cf. *ὑπὸ χρόνου* 414 C et 419 D, ita ut aliquando legem phoneticam constituat: cf. (420 B): *τῷ γὰρ οὖ ἀντὶ τοῦ ὦ ἐχρώμεθα* .... *διὰ τὴν τοῦ ὦ ἀντὶ τοῦ οὖ μεταλλαγήν* (sic! substitutio, non mutatio). Simile aliquid invenitur p. 418 B, C. Non liquet, utrum Plato ib. i.f. tamquam seriem phoneticam *ι — ε — η* proponere voluerit necne.

participiis nata esse existimentur: e.g. Ἀπόλλων (405 B—406 A) Διόνυσος (406 C) etc.

Vitium, quod postea plus semel se ostendit, hic iam emanat, sc. ut ratio, quae inter etymon et nomen intercedit, longinquior esse fingatur quam in vera lingua usu venit, non solum activa vel passiva [1]) (sive „per" nominativum vel accusativum [2]), ut ita dicam), sed etiam causativa aut „per" alios casus; cuius rei unum exemplum satis sit: οἶνος ὅτι οἴεσθαι νοῦν ἔχειν ποιεῖ 406 C.

Fortuna quoque sive bona seu mala in his etymis agit suas partes; sicut κακία (415 B) ex κακῶς ἰέναι explicatur, δειλία (415 C) vero ex δεσμός et λίαν. Hoc optime ostendit, Platonem in hac re parum sibi constitisse atque etyma indagasse, ut iam initio par est, alte secum repetendo: δειλία = δεῖ (3. S. verbi δέω) λία(ν).

Hic si quis quaerit, num Plato vocabulum δειλία cum adiectivo δειλός in unum coniunxerit, hoc fere respondendum videtur. In Platone videlicet fieri potest, ut haec atque alia eiusdemmodi (cf. imprimis ἀνδρεία = ἀν—ρεία, 413) per iocum tantum protulerit. Attamen, quia haec ratio apud posteriores valde usitata est, sic rem mihi explico. Rogati, ni fallor, respondissent, nimirum se eodem tempore iis cognata vocabula (δειλός, ἀνήρ e.a.) extricare voluisse: inde se tantum profectos esse, unde certissima via pateret. Quod vero modo hinc modo illinc proficiscebantur, nihil omnino curabant.

De Dialectis. Forsitan operae pretium fuerit, quid de dialectorum notitia ex Platonis Kratylo erui possit, hic breviter complecti.

Compluribus locis de *vetere dialecto Attica* loquitur: imprimis p. 398 D (Ἀττικὴ παλαιὰ φωνή), 401 C (ἐοίκαμεν γὰρ καὶ ἡμεῖς τὸ παλαιὸν ἐσσίαν καλεῖν τὴν οὐσίαν), 418 B,C,D, 410 C, 418 C,D,E, 421 D. Unde haec exempla desumpsit? An ex

---

[1]) Cf. p. 407 A.

[2]) De hac re in capite, quo de Varrone agitur, plura invenientur.

lapididibus? Id mihi persuadere non facile possum, cum praesertim formae ἱμέρα, ἑμέρα (418 C), ὄραι (410) aliunde, quod sciam, ignotae sint, et veri videtur simillimum, ἐσσία vocabulum (401 C) in Attica lingua numquam exstitisse.

Formae *Ionicae* occurrunt: μείς (409) (Cf. Brugmann, Griechische Grammatik [3] § 55, 1 et 227, 3, et Thumb l.i.s. § 312, 7, οὐκὶ (421 B, ὥς τινες καὶ ὀνομάζουσιν).

Formae *epicae* hae: ποθί (? 420 A), Ζήν (396 A), ὀφέλλειν (417 C), ᾧ καὶ Ὅμηρος πολλαχοῦ κέχρηται, ἐνιαυτός (410 D?).

Eretries nominantur, σκληρότηρ forma laudata 434 C. Cf. de hac forma nuperrime: A. Thumb, *Handbuch der griechischen Dialekte*, 1909, § 311, 14.

Dories nomine laudato invenies: 409 A (de vocabulo ἅλιος), Lacedaemonii 412 B (de nomine proprio Σοῦς). Cf. praeterea formae Doricae: ὠσία (401 D,) ἐσσία ib. (de qua agit G. Meyer, Griech. Gramm. [3] p. 567, cf. Thumb l.l. § 122, 11 (ἔσσα = οὖσα in inscriptione Epidauri), 104, 6 et 114, 9), ἁ articulus feminini generis (407 B), Σελαναία (409 B „πολλοί"), et dubia: Μοῦσα (406 A, cf. μῶσθαι), Φερρέφαττα (405 C.?). An hoc Thessalicum [1]) est? Cf. Thumb l.l. § 245, 13 et 17 A [2]).

Thessalorum lingua semel tantum memoratur: 405 C (de nomine Ἄπλουν = Ἀπόλλων, cf. de hoc loco Platonis Thumb l.l, § 245, 6).

Ubi ξένος etc. adhibetur, de *dialectis*, non de exterarum gentium linguis mentio inicitur: cf. 406 A (de forma Ληθώ), 417 C (de ionico: ὀφέλλειν), ξενικῶς = Dorice (407 B) ξενικώτερον = Dorice (412 B).

Ad *barbarorum* linguas reiciuntur: πῦρ, ὕδωρ, κύνες, ἄλλα πόλλα (409 E, 410 A), κακός (416 A), 421 C. De hac re v. supra p. 28.

---

[1]) Nuperrime A. Fick (Z. f. vgl. Spr. 43, 133) hanc formam Atticam esse pronuntiavit: φερρε <φερσε (cf. Hes. ἐφερσεν· ἐκύησεν et φαττα < φατια (cf. scr. hatyâ).

[2]) Si linguam Doricam bene nosset, cur (406 A) Λητώ a verbo ἐθέλειν deducendum, non a verbo Dorico λῆν derivandum esse censuit?

Denique uno loco Phrygum lingua citatur: 410 A (qui ignem, ut Graeci, item πῦρ nominare dicuntur). Cf. Kretschmer, *Einleitung in d. Gesch. d. Gr. Spr.* 191 sqq. et 230. Hinc apparet, Platonem ex libris tantummodo de dialecto epica (Homeri) et ionica (Herodoti) aliquid cognitum habuisse. Reliqua fortuita sunt, aut in itineribus congesta aut a mercatoribus audita.

De pronuntiatione. Denique etyma nostra indicia dare possunt, quae ad Atticae linguae pronuntiationem IV/III[ii] saeculi a.C.n. pertinent. Quamquam vereor, ut novi quid ex iis facile eruatur. De hac re cf. Blass, *Ueber die Aussprache des Griechischen* [2], 1882, [3] 1888.

Ea tantum collegi, quae non prorsus incerta visa sunt.

E. ε = e, 415 C. (ἀρετή < ἀειρείτη).

EI. ει = ẹi, 404 B (αι < αει, ι = i). 402 E (Ποσειδῶν < ποσίδεσμος). 416 B (αἰσχρὸν < αεισχοροῦν). Cf. Blass l.l. [2] p. 24).

Z. ζ = zd?, 418 D (ζυγόν < δυογόν). 419 A, B (ζημία < δέω). cf. imprimis 418 B, C. Cf. Blass [2] p. 96.

O. ο = ọ, cf. 416 B (αἰσχρὸν < ἀεισχοροῦν, ου = ọ̄, cf. grammaticae passim, nuperrime Thumb, l.l. p. 201—205, 416 C (καλόν < καλοῦν). 421 A (ὄνομα = ὄν, οὗ μάσμα) 396 B (οὐρανία < ὁρῶσα τὰ ἄνω). Obstat unum: 417 C (ὠφέλιμα: ὀφέλλειν)?

Φ. φ = p' sive potius ph. 400 B (φυσέχη > ψυχή).

X. χ = k' sive potius kh, 414 C (τέχνη < (τ)εχονόη). 415 A (μηχανή < μῆκος + ἄνειν).

Etiam inter τ et ϑ clara est discrepantia, cf. 406 de Λητώ et Ληϑώ nominibus (v. supra).

Si temporis ratio non vetaret, in pag. 418 C iam initium itacismi, qui dicitur, agnosceremus; quamquam Plato formam ἱμέρα vetustissimam esse pronuntiat.

CAPUT III.

De Aristotele. [1])

Aristoteles per viginti annos Platonis discipulus fuit, sc. ab a. 367 usque ad a. 347 a. C. n.. Itaque vix septendecim annos natus eius amicitia frui eiusque philosophiae studere coepit. Quomodo autem eius hereditatem, quantum ad philosophiam linguae atque etymologiam Graecorum, adierit, nobis est inquirendum.

Platonem natura atque indoles eo semper compellebat, ut quid re vera essent res humanae quove fundamento niterentur indagaret. Quod cum dicimus, nequaquam contendimus in singulis rebus numquam eum quaesivisse, *quomodo* aliquid factum esset vel ex quibus constaret partibus. Immo permultae etiam in Kratylo disputationes in hoc genere subtiles atque alta illa natura dignissimae sunt, quae praeclara sagacitate alicuius rei historiam plane vel partim aperiunt; multae quoque insunt gravissimae, quas posteritas haud sine magno damno aut non intellexit aut neglexit. Iure igitur nostro diximus, Platoni, ut in huiusmodi res maiore fructu incumberet, voluntatem potius quam ingenii facultatem defuisse.

[1]) Praeter ea, quae iam a me citata sunt, cf. Jurandic, *die Peripatetische Grammatik* 1895, quem librum tamen ne Lutetiae Parisiorum quidem in Bibliotheca Nationali consulere potui.

In sequentibus non minus quam in superioribus legentem revoco ad Ritteri et Prelleri *Historia Philos. Gr.* ([8] 1898), quae ut aliis, ita mihi quoque tantum non semper responsum dedit.

Aristotelis vero natura prorsus aliter comparata fuit. Huius philosophia iam indole sua longe a Platone discessit: apud illum — ut Steinthalii verbis (p. 183 sqq.) utar — τὸ ἀναλυτικόν tamquam in studiorum centro semper affuit, et τὸ ἱστορικόν magis iam, quam Plato ei concesserat, suum obtinuit locum. Primus fuit qui duas istas rationes coniungendo scientiae humanae magnam lucem attulerit, cum haud minus, ex quibus partibus res constarent quave ratione ad praesentem pervenissent statum quaereret quam in quo altissimo fundamento essent positae.

Virum talem per longam suam vitam necnon variis inquisitionibus repletam etiam linguae studio multum collaturum fuisse, haud iniuria speraveris.

Hac spe deiecti sumus. Causam si rogas, breve est responsum: quia apud Aristotelem, ut postea in Stoa priore, lingua non sui iuris habetur semperque logicae scientiae quasi pedisequa exsistit [1]).

Aristoteles enim non minus quam Stoici — qui utrique soli in huiusmodi rebus satis valent — inde profecti sunt, quod inter cogitare (λόγος, logica), dicere (λέγειν) et esse vinculum arctissimum exstare putabant [2]).

Inde factum est, ut logicae eius cogitationes initio quidem prorsus abstractae, ut dicitur, et ab omni linguae contagio plane remotae essent — id quod iure inter summa eius erga humanitatem merita numeratur —, sed in logicis libris (Kategorias dico, Topica, Analytica priora et posteriora) lingua atque considerationes ex lingua deductae paulatim magis magisque ingruerent et suam vim exercerent. Quibus non se liberavit, verum contra atque exspectaveris semper arctius

---

[1]) Cf. Steinthal Il. p. 213, qui recte annotat: „— — hat er von der Sprache *als solcher* kein Bewusstsein."

[2]) Bene hoc illustratur etymologia et historia vocabuli λόγος. Cf. de his rebus Steinthal ^{2} I p. 191 et P. Barth, *die Stoa* ^{2}, III, III, 3: die Sprachwissenschaft der Stoa.

Cf. quae dicit Steinthal I^2 p. 202: „Gesagt werden heisst also bei Aristoteles nicht bloss gedacht werden, sondern auch sein."

se irretiri sivit [1]). Quae cum ita sint, haec duo adeo inter se mixta sunt, ut et linguae coniunctio logicae studio apud Aristotelem nonnihil nocuerit, nec ipse linguae contemplationi iustum ac debitum reddiderit honorem.

Apud Stoicos autem ex eadem coniunctione logica linguae contemplatio plus fructus percepit quam damni fecit ipsa logicae doctrina. Nimirum, quia post Aristotelem ipsa logica non amplius ante ceteras philosophiae partes philosophorum studium ad se trahebat.

Ratio Aristarcheorum posteriorumque grammaticorum plane huic opposita est. Apud quos lingua primas agebat partes, philosophiae vero elementa fere omnino deerant. Quamquam, etiamsi hoc aliter comparatum fuisset, psychologia veterum inde a Stoae exordio per saecula adeo prae ceteris unam ethicam partem elaboravit, ut etiam linguae studio lumen afferre non valeret. Itaque lingua veterum aestimationi *numquam* prorsus idem fuit atque hodiernae linguarum psychologiae.

Ceterum ad Aristotelem redeamus, ut quid de linguae origine atque etymologia senserit pernoscamus.

Lingua secundum Aristotelem est φωνή [2]) et constat ex tribus partibus q.s.: ὄνομα, ῥῆμα, λόγος. Ex quibus unaquaeque est φωνὴ σημαντική, ita vero, ut ῥῆμα sit προσσημαῖνον χρόνον, λόγος autem, cuius τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον ὡς φάσις, ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις, h. e. cuius singulae partes aliquid declarant, non affirmant. Hoc quoque admiremur quod alio Hermeniae loco omnia verba ad unum illud

---

[1]) Cf. Steinthal, p. 253. ubi dicit: „Also ἐν ὅλῳ εἶναι τινί, ein Begriffsverhältnis, wurde erklärt durch κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, ein Sprachverhältnis; dieses durch ein gewisses λαβεῖν τῶν τοῦ ὑποκειμένου, ein Objectsverhältnis." Ib. p. 213 concludit: „es begegnet ihm wol, dass er meint, bei den Sachen Metaphysiker zu sein, während er wie ein Lexikograph Wortbedeutungen bestimmt."

Cf. de re universa eiusdem expositio de categoriis deque logica cum lingua arcte coniuncta, p. 210—235.

[2]) Cf. Steinthal I 238 sqq., qui fusius exponit, quam bene Aristoteles promeritus sit sua definitione τοῦ ῥήματος.

εἶναι refert (e.g. ἄνθρωπος βαδίζει = ἄνθρωπος βαδίζων ἐστί), de qua re dicit: προσσημαίνει δέ σύνθεσίν τινα, sc. inter subiectum et praedicatum. Porro ὄνομα est secundum eum id, quod cum ἐστί coniunctum aliquid affirmat aut negat, vel, sicut nos dicamus, nominativus; casus obliqui igitur non sunt iusta ὀνόματα.

In re phonetica, quam unice[1]) verum grammaticae finem eum pronuntiare videbimus, tria distinguit genera: Φωνήεντα ἄνευ προσβολῆς = vocales), ἡμίφωνα (μετὰ προσβολῆς = liquidae) et ἄφωνα (= mutae). Haec distinctio quamvis initio insignis videatur, Steinthalio tamen assentior, qui Aristotelem bona potius fortuna quam suo ingenio ductum ad hanc consummationem pervenisse putat. Attamen hoc negari nequit, προσβολήν illam, quae eadem fere est quam hodierni phonetici „Verschluss" appellant, non minus quam locum, ubi de σχήμασί τε τοῦ στόματος καὶ τόποις agit [2]), dilucide demonstrare, observator quam peritissimus quamque sagacissimus in huiusmodi rebus Aristoteles fuerit. In Poetica, quae magis grammaticalem linguae partem spectat, iuxta ὄνομα et ῥῆμα etiam συνδεσμόν orationis partem agnoscit, quae omnia praeter nomen et verbum in se contineat ideoque in definitione valde est ambigua [3]). Eodem loco et ἄρθρον inter μέρη λέξεως numeratur, quod tamen Steinthal I² p 263 sqq. collato Dionysio Halic. de comp. verb. C. 2 in. et de Demosthen. praest. p. 1101 Reiske spurium esse censet, haud iniuria ut mihi videtur.

Ibidem casus definitione sua in verbis haud minus quam in nominibus collocat; πτῶσις esse dicitur, quae non sit Nominativus vel Praesens Indicativi. Quamquam in hac re Hermenia et Poetica non omnino consentiunt.

Inter nomina — id quod etymologiae maxime refert — ea quae ἁπλᾶ sunt, ab iis, quae sunt composita, separat. Compositum potest esse διπλοῦν, τριπλοῦν καὶ τετραπλοῦν καὶ

---

[1]) Aliter Kretschmer, *Einl.* p. 1 sq.

[2]) Steinthal I 258.

[3]) Steinthal I 260 sqq. et Reitzenstein, *Ioh. Maurop.* etc. p. 66.

πολλαπλοῦν; una ex partibus significatione carere potest (ἄσημον), e.g. praepositio. Moneo, hic quoque nomina per logicam tantum significantiam ponderari, non phoneticam considerari coagulationem.

Alia divisio sane quae memoretur digna est: ὄνομα habes κύριον, sc. ᾧ χρῶνται ἕκαστοι. Aut γλῶττα sc. ᾧ ἕτεροι, quomodo dialectos designat; quamquam Aristoteles, ut par est, in hac re suae cuique linguae vernaculae rationem habendam esse affirmat.

Nominum genera inveniuntur tria: ἄρρεν, θῆλυ, μεταξύ. Cetera omitto, ut tam Aristotelis de lingua opinioni quam posteriorum intellectui minus necessaria.

Ex his autem prolegomenis neque perspicuum fit neque deductione causali efficitur, qualem linguae originem Aristoteles sibi finxerit, quidve inde novi etymologiae nostrae attulerit.

Hermeniae c. I haec dicit: ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τα γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ· καὶ ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτά, οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί. ὧν μέντοι ταῦτα σημεῖα πρώτως, ταὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς, καὶ ὧν ταῦτα ὁμοιώματα πράγματα ἤδη ταὐτά: lingua signum est animi motionum, linguae autem signa litterae sunt; linguae et litterae haud semper et apud omnes eaedem sunt: verum res ipsae, quae animum movent, et motiones animi similes inveniuntur [1]).

Quomodo igitur exprimunt, quid in quoque animus moveatur per ea, quae extrinsecus vel intrinsecus sunt? Expresse dicit (ib. C. 2): φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστιν. Steinthalio assentior, Aristotelis iudicio Platonem eandem de hac re opinionem habuisse, quod profecto ad hoc demonstrandum pleniore argumentatione usurus fuisset, si magistrum suum aliter sensisse compertum habuisset. Pergit noster: ἔστι δὲ λόγος ἅπας μὲν σημαντικός, οὐχ ὡς ὄργανον δέ, ἀλλ' ὡς προείρηται κατὰ συνθήκην, qua formula Plato quoque usus est.

---

1) Cf. Steinthal 185 sqq.

Inde hoc quoque factum est, ut linguae studium inter angustos terminos contineret, nihil ei tribuens nisi soni (φωνῆς) considerationem. Quoniam non sperabat fore ut per linguam tamquam per scalas ad veri notitiam ascendi posset, cetera quae hodie grammaticam occupant, imprimis etymologiam et syntaxin aut neglexit aut in logicae servitium quasi in exilium misit. Cf. Metaph. c. 1 laud. ap. Steinth. I p. 188, ubi Steinthali verbis hoc quoque dicit: „Sprachlehre ist Lautlehre", et paulo inferius: „Was aber der Laut bedeutet, gehört nicht ihm, wirdt ihm von aussen her, vom Denken geliehen."

Haec ut crederet, adductus est meditationibus de notionibus institutis „verum" et „falsum" [1]). Eodem modo ac Plato, „verum" et „falsum" non in ipsis notionibus posita esse secum reputabat, verum in eorum coniunctione et necessitudine. Quam necessitudinem dum penitus persequitur, in aliam rem incidit. Nam cum initio ipsam cogitationem eiusque per linguam elocutionem non prorsus separet eaque arcte coniuncta esse arbitretur [2]), tum hanc rationem investigans ea duo similia attamen non prorsus eadem esse sibi persuasit. Duplex ei fuit huius commentationis fructus:

[1]) De his et sequentibus cf. Steinthal p. 189 sqq.

[2]) Cf. Steinthal p. 190, v. 5: „Da der Gedanke aber immer nur in der Sprache oder Rede, der Begriff im Worte gegeben ist, so wird auch der Gedanke nur als ausgesprochener, der Begriff als durch das Wort bezeichneter betrachtet." Ib. p. 191: „Wie Aristoteles die Gleichheit von Denken und Sprechen und dabei doch zugleich eine Verschiedenheit derselben auffasste, ist schwer zu sagen, obwol dies feststeht, dass er sowol die Gleichheit als auch daneben die Verschiedenheit festhielt." Idem fere suis verbis expresserunt Stoici; cf. P. Barth l.l.: „die in der Brust wohnende oder schlechthin innewohnende (ἐνδιάθετος) Vernunft war dieselbe, wie die als Wort hervortretende (προφορικός)." Cf. Zeller III, 1^3, 67. De re universa deque Steinthalii sententia cf. J. Elias, *Logica en grammatica in wederzijdsch verband overdacht,* Wijsg. bladen, 1905.

In Aristotelis igitur mente haec duo non ita per se separata exstabant, ut animo eius ne occurreret quidem, inter ea rationem, quae investigari posset, intercedere.

primus tria illa nominum genera, ὁμώνυμα, συνώνυμα, παρώνυμα, ad mentis humanae superficiem perduxit et per eandem animadvertit, infinitum esse rerum (πραγμάτων) et notionum (νοημάτων), finitum vero nominum (ὀνομάτων) numerum. Rectissime inde conclusit, significationem vocabulis non natura innatam esse, sed potius hominum voluntate ac deliberatione κατὰ συνθήκην esse attributam.

Quae cum ita sint, Aristoteles a Platone differt in eo, quod de ὀνοματοποιία sentit. Nam prorsus eam negat, sicut propter antecedentia non concludere non potuit. Figura ὀνοματοποιίας apud Platonem et Stoicos (v. infra) non ea praecipue erat per quam homines sonos naturales in lingua imitarentur, ut hodie vulgo sed iniuria creditur et grammatici Romani ad unum omnes putaverunt [1]), verum ea, quae in homine nescio qua via sponte, i. e. natura, sonum excitaret, miro modo (cf. in Platonis Kratylo) quandam cum ipsa re habentem cognationem. Illa pauca tantum vocabula explanare valet, haec ad omnis generis nominum radices adhiberi potest. Nimirum Aristoteles, qui linguam φύσει esse negaret, istam figuram adeo naturalem in suam doctrinam recipere haud sustinuit.

At porro? Argute agnoscit in natura sonos rationis expertes, qui appellantur οἱ ἀγράμματοι ψόφοι οἷον θηρίων, ὧν οὐδέν ἐστιν ὄνομα. Qui tantummodo animi affectus produnt, non cogitationes. Homines demum sonis significationem tribuunt, quae significatio (h. e. notionis *cum vocabulo* coniunctio) rationis particeps semper tamen cum hominibus cohaeret atque ideo „subiectiva" aut, si mavis, minus recte fortuita est. Cf. quae dicit (l.l. p. 437 a 15 = Steinth. I 87): ὁ γὰρ λόγος αἴτιός ἐστι τῆς μαθήσεως ἀκουστὸς ὤν, οὐ καθ' αὑτὸν ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός.

Qualis illa συνθήκη fuerit quibusve principiis, consiliis, propositis ducti homines ea usi sint (et utantur?), unde sonos necessarios acquisiverint, haec omnia Aristoteles

---

[1]) e.g. Varro L.L. V 75—77.

quod sciam in medio reliquit. Umquamne ad eas quaestiones responsum dedit? Omnia fere Aristotelis scripta nobis servata sunt. Utut sunt, si istam rem paene integram omisit, non est quod valde miremur. Nam haec συνθήκη adeo „subiectiva" et veri notitiam non ostendens hominem, qualis fuit Aristoteles, humanis immutabilia ac firma variis et dubiis praeferens, vix allicere potuisse putanda est, ut maiorem commentationem maioremque sui partem ei addiceret. Itaque praestat, Aristotelem hic silentem nobis fingere quam opiniones melius definitas ei obtrudere, quae quin nimis pueriles evadant, fieri non potest.

Denique quod ad ipsa etyma attinet, pauca tantum apud eum inveniuntur, quae nil Platonica superant [1]. Rogatus ita, ni fallor, ea excusasset, ut etymologiam nonnumquam pristinam significationem aperire posse defenderet, quae, quamquam κατὰ συνθήκην nata, tamen praesenti melior aestimanda esset. Quomodo erga etymologiae studia se habuerit Aristoteles, nusquam fortasse magis explicite expressit quam hisce verbis (Magn. Moral. I 6) [2]: . . . εἰ δεῖ παρὰ γράμμα λέγοντα τὴν ἀλήθειαν ὡς ἔχει πιστεύειν· δεῖ δ' ἴσως. Quod bene demonstrat, eum huiusmodi studiis parum fuisse amicum, sed contra melius quam Platonem perspexisse, si quis etymologiae indagandae indulgere vellet, ei accurate unamquamque litteram esse respiciendam necnon observandam.

Haec fere sunt, quae Aristoteles contulit veterum linguae studiis, si spe minora, attamen magno viro haud indigna.

---

[1]) Eius etyma collecta sunt apud Lersch III p. 39—40, cf. Steinthal I² 340.

[2]) Cf. de his rebus R. Schmidt, Lersch III p. 39, Steinthal l. l. et I 193 sqq., ubi etymologiae officium satis ambigue describitur: μεταφέρειν τοὔνομα ἐπὶ τὸν λόγον (8.c).

CAPUT IV.

De Stoicis. [1])

Stoici sunt, qui disciplinae nostrae quasi novum inauguraverunt saeculum atque magis quam Plato et Aristoteles apud posteros in hac re auctoritate valuerunt. In quibus ante alios Chrysippus et Crates nominandi sunt, alter philosophus logicus, qui primus de anomalia scripsit (cf. Varro L.L. IX 1), alter, qui primus vere κριτικόν se professus est, philosophiam cum grammatica coniungentem. Iam ad controversiam illam celeberrimam de analogia an anomalia pervenimus, de qua vide infra.

Qualis nova haec aetas fuerit, Steinthal legentibus eximie evolvit [2]).

Plato atque Aristoteles omnibus viribus conisi erant, ut obiectivam rerum contemplationem contra aequalium et superiorum impetum defenderent, qui ipsi, Protagoram dico ceterosque Sophistas, res humanas adeo „subiective" considerabant post et propter superiores philosophorum sectas, Eleatas imprimis, quod hi iusto magis στοιχεῖα vel

---

[1]) Cf. imprimis R. Schmidt, *Stoicorum Grammatica*, Halle 1839; P. Barth, *die Stoa*. [1] 1903, [2] 1908. De Chrysippo cf. Von Arnim in Pauly-Wissowa, III 2502—2509. Dissertationem Chr. Aronis, Χρύσιππος Γραμματικός Jena 1885, Lutetiae Parisiorum reperire non potui. De re universa Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 2.

[2]) Cf. St. I 271.

eiusmodi res indagantes vana iactasse modumque excessisse iis viderentur [1]).

Socrates—Plato hunc finem eo petebant, quod obiectivum et subiectivum tamquam inter se connectebant. Iuxta obiectivum subiectivum collocaverunt, ita quasi vinculis hoc coercentes. Obiectivae autem partis libertatem Plato sua de Ideis doctrina vindicat, qua rerum quae dicitur abstractio vel, si mavis, notio, generale extra mundum quem cernimus suum obtinet locum. Aristoteles Platonis opus consummavit, eo quod partem obiectivam non extra mundum, sed in eo sitam et quidem in ipsa parte subiectiva fingebat: illam (μορφή, εἶδος) se ostendere efficientem in hac [2]).

Forsitan haec contra aequalium mentem defensio apud Aristotelem explicat, cur ipse quidem partem subiectivam paululum neglexerit.

Verum utut haec sunt, saeculi ratio post Aristotelis mortem non iam magno eius animo parumper retardata suo alveo defluxit et philosophia, ut par est, non prorsus sui temporis nota caruit: in parte obiectiva, ut Stoici fuerunt, parvo contenta in subiectivum magis magisque incumbebat, ethicae ante omnia favens atque singulare quidque prae generali, ad quod redit, maxime urgens. Zeno cum suis maiores quam fuerat Aristoteles esse debuerunt, si hunc fluvium suae voluntati submittere potuissent.

Verum aliam quoque rem ista aetas secum attulit. Ἐμπειρία quae dicitur, ab Aristotelis mente analytica inchoata, suum capiebat cursum, non amplius rerum contemplatione librata, qualem apud Platonem et Aristotelem videmus Ideas spectantem vel aeternum in humanis perspicientem; itaque mox iam plurimum valebat et auctoritate

---

[1]) Id quod Plato expresse dicit Soph. p. 242 d (cf. Steinthal I p. 48). Hi philosophi ante Socratem non tam obiectivam partem sectabantur, sed obiectivum et subiectivum non dignoscentes, subiectivam partem neglegebant, cf. Lassalle II 355 apud Steinthal I 175.

[2]) Hinc etiam in Aristotele explicatur, quod magis quam Plato experimentum (ἐμπειρία) fovebat.

sua prohibuit, quominus philosophia speculativa et logica theoretica suis numeris implerentur. Quid enim? Permulta in hoc novo genere erant, quae homines in talia iam proclives ad se allicerent.

Et vetus illa philosophia speculativa, quae iam in Platone novam atque immensam materiam [1]) vix elaborare valeret, post eum velut animum despondens haec omnia commentari sibique subicere desperabat. Quo factum est, ut intervallum inter utrumque in dies cresceret.

Nimirum tunc primum usus quoque cottidianus suam in philosophia partem vindicare coepit, vel potius eius postulatis melius auscultari coeptum est. Quod quare tunc lingua una usui maxime serviens in medium studium rapta sit, partim iam explanat.

Stoici igitur parum, et certe minus quam Aristoteles, obiectivam rerum partem respexerunt sed — ut Steinthal (I^2 p. 275) rectissime indicat — eorum subiectivismus, si unum latus nimis intuens Aristotelicae contemplationi altitudine cedebat, rursus plura quam ille elementa in suam doctrinam recepit.

Itaque haec tria, subiectivismus, empirismus, animus usui intentus, in unum coaluerunt, ut tunc primum linguae studium si non liberum et a logica absolutum, at tamen, quasi libertinus, et suam rem conscium agens et generale exortum sit [2]).

Iam quaedam de Stoicorum grammatica quam brevissime potest referre nobis liceat, quae cum id efficient, ut exemplis ostendant, a qua parte Stoici de lingua quaesti-

[1]) Monendum est, Aristotelem cum Peripateticis philosophis haud minus etiam omnium fere doctrinarum fundamenta iecisse vel saltem viam monstrasse, quam propriae studuisse philosophiae.

[2]) Cf. R. Schmidt l.l. p. 8: „fuerunt igitur Stoici, qui, cum antecedentes philosophi non nisi passim et praetereuntes quasdam de lingua quaestiones tetigissent, primi universam hanc diversam per se ipsam tractandam excolendamque sibi sumerent." Cur illud „per se" aut ambiguum aut parum recte dictum mihi videatur, ex iis quae exposui sequitur.

ones aggredi soliti sint, tum ea quoque suppeditabunt, quae ad etymologiam eorum recte intellegendam interdum erunt necessaria. Deinceps eorum de origine linguae opiniones exponemus, ut postremum de controversia, utrum analogia an anomalia linguam „regat" paucis agamus.

Stoicorum philosophia divisa est in partes tres, quae sunt: logica, physica, ethica. Quorum prima duas habet partes: dialecticam (ἐπιστήμη τοῦ ὀρθῶς διαλέγεσθαι. Steinthal I p. 285) et rhetoricam. Dialectica denique ex duobus constat [1]: περὶ σημαίνοντος (i. e. *a.* περὶ φωνῆς. *b.* de definitionibus et categoriis) et περὶ σημαινομένου (i. e. *a.* περὶ πραγμάτων et *b.* περὶ συλλογισμῶν).

Quamquam hinc nobis est hauriendum, initium tamen faciamus ab eorum de partibus animi opinione, quae in Ethica invenitur. Earum octo agnoscunt: quinque sensus, τὸ σπερματικόν, τὸ φωνητικόν et summam partem τὸ ἡγεμονικόν [2]). Mens (νοῦς vel διάνοια) huic ultimae parti tribuitur, lingua (= λόγος et φωνή) est instrumentum, quo mens se aperiat [3]). Immo tam arctum inter haec duo vinculum interesse suspicabantur, ut ibi mentem collocatam crederent, unde vox proficisceretur: ὅθεν ἐκπέμπεται ἡ φωνή καὶ ἡ ἔναρθρος, οὐκοῦν καὶ ἡ σημαίνουσα ἔναρθρος φωνὴ ἐκεῖθεν (haec distinctio ad Aristotelem redit)· τοῦτο δὲ λόγος καὶ ὁ λόγος ἄρα ἐκεῖθεν ἐκπέμπεται ὅθεν καὶ ἡ φωνή κτλ. [4]). Itaque non — ut Aristotelis dicto utar — κατὰ συμβεβηκός, sed necessario et semper lingua ipsa origine cum mente humana conexa esse putatur.

Quae res ad linguae commercium necessaria sint Stoici

---

[1]) Cf. Schmidt p. 53.

[2]) Cf. Schmidt p. 11, quamquam Barth l.l. [1] p. 84 et A. tripartitum animum apud Stoicos ponit.

[3]) Hanc rem optime illustrant veriloquia, quale est φωνή = φῶς νοῦ (Steinthal I 285). Cf. etiam λόγος = ratio et oratio, unde apud Romanos ortum est etymum sescenties repetitum: oratio = oris ratio.

[4]) Est locus Galeni, de Plat. et Hippocr. dogm. II, 4, laudatus apud Schmidt p. 18, A. 31.

optime distinxerunt, quocirca hac re optime meruerunt. Sunt autem quattuor: *a.* ipsa res, quae exstat, (die Erfahrungsobiecte), apud Stoicos τὸ ἐκτὸς ὑποκειμένον, τὸ τυγχάνον (nonnumquam τὸ πρᾶγμα), *b.* rei notio, ἔννοια vel νόημα, *c.* vocis vel vocabuli sonus, φωνή vel τὸ σημαῖνον, *d.* vocabuli significatio, proprie τὸ σημαινόμενον, postea τὸ λεκτόν, latine: dicibile. Denique quintam quoque partem non primi agnovisse, sed suo nomine appellasse videntur: *e.* dictionem, λέξιν, quam intellegebant soni et significationis coniunctionem, verbum sonans et significans. Apud Sextum Empiricum (VIII 11) tria tantum inveniuntur: φωνή, πρᾶγμα, τυγχάνον (= *c*, *d*, *a*) [1]).

[1]) De tota re cf. Sext. Emp. ll. et VIII 80, Diog. Laert. VII 57 et Ammon. ad Arist. de interpret. p. 100 a 8, Augustini *Principia dialecticae* V (= Migne 32, p. 1409 sqq.); cf. Schmidt 54. Steinthal I 288, 293 sqq., de quo vide Reitzenstein, *Ioh. Maurop.* etc. p. 75 A. Augustinus rem satis intricatam neque apud ipsos Stoicos eodem modo expressam explicatione non claram reddidit, quia ipse male intellexisse deque suo nonnihil addidisse mihi videtur. Reitzensteinio assentior, ne Steinthalium quidem rem ad claritatem adduxisse (cf. e.g. *verum* p. 293 = λέξις, p. 294 = φωνή). Hoc tamen non spernendum duco, quod Augustinus l.l. dicit.: „sed cum animo sensa sunt (sc. exemplum „arma"), *ante vocem* dicibilia sunt. Cum autem propter id quod dixi proruperunt in vocem, dictiones factae sunt." „Animo sensa sunt" a quo? Ab eo, qui locuturus est? Quod si ita esset, hic iam sextam partem haberemus, id quod Steinthal credere videtur, ubi ei „die innere Sprachform" similem ducit (I p. 297). Itaque esset apud loquentem: significatio (= notio) certos pronuntiandi motus excitans. Sed prius dixit Augustinus; „quidquid autem ex verbo non auris sed animus sentit, ... dicibile vocatur." Hoc cum praecedentibus minime congruit. Prior Augustini explanatio veterum Stoicorum menti parum apta videtur. Itaque sic mihi rem informo: τὸ λεκτόν est significatio, quam verbum hominibus, i. e. auditori et loquenti (qui se ipse audit et intellegit), habet. τὸ λεκτόν graece est: dictum et dicibile. Quidni hoc vocabulo Stoicos non dicibile, sed dictum designare voluisse putemus? Significatio enim verbi potius est quae dicitur quam quae dici potest. Ni fallor, „dicibile" primum apud Augustinum occurrit. Cf. Forcellini et Du Cange s. v. Num audacius est suspicari, eum „λεκτόν" male interpretatum esse vocabulo „dicibile" ac postea, ut hanc suam interpretationem fulciret, alteram istam, de qua prius dixi, finxisse huius rei explanationem?

Quomodo novum illud, τὸ λεκτόν, quod Aristoteles praeteriit, detexerunt?

Sic res se habet. Linguae exterarum gentium eo tempore magis iam quam antea virorum doctorum animi attentionem ad se trahebant. Documentum est locus Varronis L.L. VIII 64, ubi de Cratete grammatico Stoico agitur. Inde eos fugere non potuit, vocabulum aliquod omnibus gentibus eundem habere sonum, at uni tantum eadem significatione esse praeditum. Unde factum est, ut inter verbi sonum et significationem statuerent separationem [1]. Itaque τὸ λεκτόν est repraesentatio rei conspicuae vel notio rei comprehensibilis, quatenus cum soni signo coniuncta est exque eo dependit. Hac autem ipsa re Stoici philosophos superant priores.

Quod ad τὸ σημαῖνον, ad elocutionem, pertinet, haec fere etymologiae causa notanda videntur.

Quid est loqui? Observatio sensualis (φαντασία) in eo est, ut obiectum (τὸ τυγχάνον) animum moveat, in eo τύπωσιν quandam vel ἑτεροίωσιν ψυχῆς efficiens.

Hoc loco igitur una ex quinque animi partibus, quae quinque sensus regunt, aliam partem τὸ ἡγεμονικόν [2]) excitat, ubi αἱ ἔννοιαι, notiones rebus sensualibus respondentes, moventur, et cogitatio, διάνοια, posthac creatur. Denique inde alia animi pars, τὸ φωνητικόν, stimulatur, quod πνεῦμα ad loquendi organa transmittit. Sic definit Diocles Magn. ap. Diog. Laert. VII 49. (cf. Schmidt p. 22, A. 14, Steinthal

---

[1]) Nunc video, hanc sententiam confirmari commentatione de hac re apud Sext. Empir. adv. Math. VIII 12 (cf. Steinthal I 289).

[2]) In hac re τὸ ἡγεμονικόν non modo passivum sed etiam activum est, non accipit tantum, sed et ad se trahit, cf. Steinthal I 290.

De φαντασίᾳ et διανοίᾳ cf. e.g. Steinthal I 287. Qualis ratio sit inter φαντασίαν et αἴσθησιν cf. P. Barth II.[1] p. 65, ubi videas. Aliter censet Diog. Laert. VII 51 (Ritter et Preller [8] § 484 a), qui fortasse rectius censet φαντασίας in se continere tam sensualia quam cogitationes.

I 287, Ritter et Preller [8] § 483 a): προηγεῖται γὰρ ἡ φαντασία, εἶθ' ἡ διάνοια ἐκλαλητικὴ ὑπάρχουσα ὃ πάσχει ὑπὸ τῆς φαντασίας τοῦτο ἐκφέρει λόγῳ.

Quid est φωνή? Si eius materiam quaeris, est ἀὴρ πεπληγμένος [1]), si notionem, τὸ ἴδιον αἰσθητὸν ἀκοῆς, id quod re vera in vocabulo auditur.

Porro a Stoa distinguuntur: λέξις (φωνὴ ἐγγράμματος) et λόγος (φωνὴ σημαντικὴ ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένη). Ut λέξεις sunt στοιχεῖα λόγου, sic viginti quattuor litterae sunt στοιχεῖα τῆς λέξεως [2]).

Denique ex parte περὶ τοῦ σημαίνοντος quaedam addere liceat de partibus orationis.

Stoa vetustior quattuor eas agnovit [3]) quae sunt: ὄνομα, ῥῆμα, συνδεσμός, ἄρθρον, quae forsitan respondeant quattuor Stoicorum categoriis: ἄρθρον = ὑποκείμενον, ὄνομα = ποιόν, ῥῆμα = πὼς ἔχον, σύνδεσμος = πρός τί πως ἔχον (Schmidt p. 37, Lersch II, 28). Quod si ita est, rectissime Stoici pronomina ut enuntiati subiectum, nomina vero ut eius subiecti singularem condicionem definierunt eodem modo, quo Aristoteles (v. supra) εἶναι verbum κατ' ἐξόχην, cetera verba eius singulares definitiones et modos esse censuit.

Adiectivum igitur a substantivo nondum separaverunt [4]), neque hoc mirum: qui ὄνομα categoriae τὸ ποιόν adaequare videntur, hoc intellegentes quasi specialem condicionem, qua τὸ ὄν se manifestat, hi quomodo luculenter differentiam substantivi et adiectivi animadvertere potuerint, non video. Quod diu etiam apud Romanos sui vestigia reliquit.

---

[1]) Cf. Schmidt p. 16, Steinthal I 290 sq. u. v. Hinc illud singulare etymon apud Romanos: „verbum, quod ore aer verberatur" et talia, aut brevissime: „verbum a verberando (sic!)" e. g. Augustin. Pr. Dial. c. VI. His locis πνεῦμα idem esse videtur atque ἀήρ in corpore animato et inde emanans. Molestus idcirco est locus Plutarchi (de plac. philos. p. 902a): ἐπειδὰν δὲ πληγῇ πνεύματι, κυματοῦσθαι (sc. ἀέρα). Hic enim non spiritus humanus, sed aer homini circumfusus, qui isto spiritu feritur, vocem efficere videtur.

[2]) Diog. Laert. VII 57 tredecim tantum enumerat.

[3]) Cf. Schmidt p. 53.

[4]) De hac re cf. Steinthal [2] II 251.

Posthac Chrysippus ὀνόματα esse pronuntiavit ea, quae posteri κύρια appellarunt, quintamque partem orationis instituit: τὰ προσηγορικά (= appellativa). Denique Antipater Tarsensis ultimam addidit, adverbio μεσότητος nomine suum assignando locum [1]).

Si haec ultima divisio praeclare demonstrat, quantopere Stoicorum de lingua opiniones a logicae doctrina profectae logico colore nimio tinctae sint, ea quae de σημαινομένῳ nunc sequentur, hoc melius etiam ostendent [2]).

Genera [3]) verbi sunt tria: ὀρθά, ὕπτια, οὐδέτερα, i. e. activa, passiva (vocabulo a lucta mutuato), neutra. His accedunt τὰ ἀντιπεπονθότα, i. e. verba, quae eadem sunt reflexiva et causativa, e. g. κείρομαι = me ipse tondeo et me tondendum curo. Quae divisio quantopere logicam potius quam grammaticam (= formam) spectet, ex hoc apparet: διαλέγομαι est ὀρθόν, quia per sensum. Si quem filii piget, ὕπτιον est, quamdiu filius vivit; ubi mortuus est, iam fit οὐδέτερον. Hoc quoque illo vitio originis factum est, ut Stoici, id quod medium vocatur, nondum agnoverint, quippe qui formam, ut semper, ita hic quoque nimium neglegerent.

Quod ad casus attinet, πτῶσις nomine iam apud Aristotelem eos deprehendimus. Duabus autem rebus Stoici se ab eo segregaverunt: *a*. verbum non habet πτώσεις: *b*. πτῶσις non iam est id, quod ab εὐθεῖα (sc. πτώσει) recedit, sed iudice Steinthalio (I 304) „die einzelne Realität, auf welche wir stossen (προσπίπτειν)" [4]). Quo factum est, ut ὀρθήν (= nominativum) nunciam in casuum numerum reciperent,

---

1) De hoc nomine cf. longa disputatio apud Steinthalium II 25 sqq.

2) Si quis miretur, partes orationis in parte περὶ τοῦ σημαίνοντος, sed nominum casus in parte περὶ τοῦ σημαινομένου disputari, is legat, quae dicit de hac re Steinthal I p. 289.

3) Cf. Schmidt p. 62.

4) Hoc mihi Steinthal non persuasit: πίπτειν enim et προσπίπτειν non idem est; aliam imaginem hic latere suspicor.

παραγωγάς vero et σχηματισμούς (ut a δίκαιος δικαίως et δικαιότερον) ab iis excluderent.

Hic quoque formam prae significatione aspernati sunt, ut expresse dixit schol. Dion. Thr. p. 860 (Schmidt p. 59): ἴστεον δὲ, ὡς τῶν σημαινομένων, οὐ τῶν φωνῶν εἰσὶν αἱ πέντε πτώσεις. Quattuor numerabant q. s.: ὀρθή, γενική, δοτική, αἰτιατική [1]).

Quaecumque de verbi κατηγορήμασιν agunt (Schmidt p. 64, Steinthal I 306) omitto utpote ad hanc rem minime facientia.

Postremum paucis de verbi temporibus agam, quia hic locus simul merita et damna Stoicae de lingua commentationis dilucide monstrat.

Epicurus tempus non per se esse existimabat, sed rebus admixtum; quod Stoici definierunt καθ' αὑτὸ νοούμενον πρᾶγμα [2]), describentes tamquam „intervallum mundi motus". Hic motus quia perpetuus est, praesens tempus iis nihil erat nisi vinculum praeteriti et futuri. Unde profecti omnem actionem per aliquod tempus quantulumcumque extendi pronuntiabant: omnis actio aut fit, i. e. tam praeteriti quam futuri particeps est, aut facta est aut fiet. Haec tria in praeterito, in praesenti, in futuro collocari possunt, ita ut novem habeas tempora. Verum Stoicis prioribus hac in re humani aliquid accidit: ut viam ingressus spatium emensum respiciens tuum ducis, emetiendum autem alienum atque incertum, sic illi praeteritum bis observarunt, futurum totiens omiserunt. Duo igitur tempora agnoscunt q. s.: ὁ ἐνεστώς (χρόνος) et ὁ παρῳχημένος. In his actiones ponunt, quarum *cursum* identidem aut *punctum* intra fines vel ipsum *finem* (non initium, v. supra) respiciunt. Illum παρατατικόν,

---

[1]) Quis quintus ille fuerit, non liquet. Steinthal I p. 302 A adverbium suspicatur, quia constat, Stoicos vocativum enuntiati loco habuisse. Sed hoc fieri non potest, quia adverbium ad adiectivum pertinet, Stoicis autem semper fere de solo substantivo sermo est. Itaque credo, scholium nostrum de posterioribus tantum Stoicis agere, eosque vocativum agnovisse, priores autem q u a t t u o r casus esse docuisse. Hac quoque re probatur, posteriores, ut fit, magis magisque formam iuxta significationem observare. Cf. etiam Steinthal II [2] 265 sqq.

[2]) Cf. Sext. Emp. adv. Mathem. X 218, 227 et Varro L.L. VI 3.

hunc συντελικόν vel τέλειον vocant. Sic primi fuerunt, qui detegerent id, quod hodierni „Aktionsarten" appellant. Steinthal (I 309 sqq.) Stoicos Futurum non minus quam Aoristum tempus ἀορίστους considerasse contendit; haud scio an recte, si quidem in ea quae supra demonstrata sunt optime quadrat.

Parum probabile mihi videtur quod Steinthal credit, Varronem (cf. L.L.IX 32, 96—101, X 33, 47, 48), qui hanc doctrinam cognitam haberet, primum a quattuor ad sex tempora progressum esse. Quod quin iam ante eum indagatum sit, non dubium est [1]).

Quid ex his rebus sequitur? Dum formam nimis neglegunt, significationi tantum auscultant, verbi „Aktionsarten" ut dicitur, detegunt, at tempora forma expressa eos latent. Quae neglegentia iis ipsis maxime nocuit, cum temporibus formalibus freti dubio procul suam de temporibus doctrinam non, ut fecerunt, tertia parte privatam fuissent relicturi.

Haec natura Stoicae philosophiae tamquam clavis loco fungitur ad universas eorum de lingua commentationes intellegendas.

De linguae origine deque etymologia Stoici haec iudicaverunt [2]). Plato linguae relationem cum vera rerum scientia, Aristoteles praecipue cum cogitandi ratione investigaverant. Stoici vero iam eius historiam et ante omnia eius cum homine coniunctionem meditati sunt. Quod id habet commodi, ut linguam in homine tantum et per eum, non extra eum suam agere vitam penitus compererint.

Apud Aristotelem [3]), ut vidimus, lingua κατὰ συνθήκην esse

[1]) Haec tempora sunt: Praesens, Imperfectum, Perfectum, Plusquamperfectum, quibus postea accesserunt Futurum et Futurum exactum. Reliqua tria: Futurum futuri, Futurum praeteriti, et Futurum inchoativum (resp. ik zal dan op het punt zijn te schrijven, ik was op het punt te schrijven, ik ben op het punt te schrijven) simplici forma verbum latinum non exprimit, ideoque nomen haud requirunt.

[2]) Cf. Schmidt p. 21—36, Steinthal I 319.

[3]) Cf. Steinthal I 324.

putabatur, ita ut non arbitrariae voluntati originem deberet, sed ab hominibus sibi sui in hac re consciis subiective esset creata h. e. extremo gradu eo tempore, quo homines nondum obiectum ut diversum a subiecto separassent atque idcirco reapse omnia essent subiectiva, veram rerum scientiam neque appetentia neque perspicientia.

At si aliunde rem aggredimur, linguam tam Platoni quam Aristoteli κατὰ φύσιν fuisse apparet, illi ut linguae Ideae respondentem, huic quod linguae officio et fini satisfaceret (cf. ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστίν, Plato Rep. I 2 p. 1252 b).

Ut Stoicorum rationem intellegamus, paucis monstrandum est, quae ab Aristotele relicta habuerint.

Primum Aristoteli οἱ νόμοι quoque in abstracto, verae leges erant φύσει. Sed ipsum illud „φύσις" non semper idem exprimit neque Aristoteles in hac re semper sibi constat. E. g. φυσικόν nominat, quodcumque semper et ubique valet, ita ut considerationes ad „iustum" pertinentes partim φύσει sint (cf. apud Sophoclem οἱ ἄγραφοι νόμοι, partim νόμῳ. In Ethica longius progreditur. Non omnia, quae φύσει sunt, ob hanc causam etiam recta sunt. Accedit, quod τὸ φυσικόν non immutabile est (at vide supra de φυσικῷ in legibus e.g.). Quin etiam τὸ φυσικόν sine hominum auxilio creatum recta historiae intellegentia opponit τῷ ἀνθρωπίνῳ, quod interdum, προαιρέσει et φρονήσει fretum, rebus praestare potest naturalibus. Haec humana autem, ubi κατὰ φύσιν fiunt, paulatim τοῖς φυσικοῖς appropinquare possunt, postremum partim se iis immixtura.

Itaque apparet, notiones φύσιν et νόμον utrimque paulatim suo loco moveri, ita ut mox haud recte tamquam duo contraria sibi opponi possint. Quod satis explicat, cur Aristarcheorum aetate in locum νόμῳ vocabuli appellatio θέσει successerit.

Iam quid *Stoici* ad hanc rem contulerint videamus. Ipsa loquendi actio secundum eos φύσει est, ut quae animae motu proferatur (v. supra). Ut quis enim loquatur, res duae coniungantur, λόγος, ut dicitur, ἐνδιάθετος, id quod

rectius quam Steinthal supra (p. 46 A. 1) „die innere Sprachform" appellare possumus, et λόγος προφορικός, hic illum enuntians oris sono. Quamquam haec distinctio isti λόγῳ ἐνδιαθέτῳ neque lucem neque fructum maiorem in doctrina Stoica attulit.

Sed ipsam quoque linguam, h. e. linguae argumentum, φύσει esse arbitrati sunt. Veri mihi videtur simillimum, hoc non ita accipiendum esse, tamquam Stoici linguam dialectica commentatione *naturae convenienter* creatam esse censuerint; quod si esset, profecto κατὰ φύσιν, non φύσει dixissent. Verum, ni fallor, in fundamento conscientiae popularis linguam positam esse credebant, quod fundamentum essent αἱ κοιναὶ ἔννοιαι, φυσικαὶ dictae, quod medium aliquod inter cogitationem dialecticam et sensuum motus (αἰσθήσεις) putabantur.

Quomodo autem ad etymologiam adducerentur, Schmidt (p. 30 sqq.) egregie exposuit.

Ad dialecticam iis, ut omnibus philosophis, summe necessariae erant definitiones rectae atque arctae. At vero usus cottidianus et magis etiam philosophica inquisitio iis luculenter ostendebat, quam parum lingua propter suam ἀμφιβολίαν et ἀνωμαλίαν sufficeret. Secus quam Plato fecerat, id vitium non linguae origini sed eius vetustati imputabant, atque remedium quaerebant in etymologia, quae pristinam eamque optimam vel saltem meliorem vocabulorum significationem se aperturam promitteret [1]). Videlicet haec opinio doctrina de notionibus communibus accepta magis etiam commendabatur. Unde ipsa appellatio: ἐτυμολογία Stoicis, certo Chrysippo debetur [2]). Quod vero Schmidt omne

---

[1]) Cf. eorum postulatum „suo quamque rem nomine appellare" (Cic. ad fam. IX 22 1), licet Cicero id in loquendi libertatis detorqueat defensionem.

[2]) Cf. Pauly-Wissowa, VI 1 p. 807, 42 sqq. Ideo Steinthal I 331, A. definitionem apud Becker An. Gr. II 740: ἀνάπτυξις τῶν λέξεων, δι' ἧς τὸ ἀληθὲς σαφηνίζεται Stoae tribuit. Num recte? Vereor, ut iam tunc temporis ἀληθής et ἔτυμος sibi plane aequari potuerint.

etymologiae studium apud Stoicos a dialecticae postulatis derivandum putat, id inconcinnum iudicaverim: vir doctus dialecticae maiores partes tribuere videtur quam in Stoa quidem umquam habuit.

Nisi omnia fallunt, universum linguae studium Stoicis ad hanc rem colendam auctor et adiutor fuit.

Quid de linguae origine cogitaverint si exponere velis, simul enumerabis, quae iis in etymologia fuerint rationes, viae, regulae.

Incipiamus a loco Origenis (contra Cels. I p. 18): ... *ὡς νομίζουσι οἱ ἀπο τῆς Στοᾶς, φύσει* (sc. *ὀνόματά ἐστι*), *μιμουμένων τῶν πρώτων φωνῶν τὰ πράγματα, καθ' ὧν τα ὀνόματα, καθὸ καὶ στοιχεῖα τινὰ ἐτυμολογίας εἰσάγουσιν* [1]).

Dum linguae et etymologiae historiam evolvere curant, veram linguae historiam Stoicos latere videbimus; neque enim quatenus vocabuli sensus aut per se aut una cum vocabuli forma, neque quomodo ipsa forma per se aut cum verbi significatione coniuncta semper mutaretur, bene perspexerunt. Si iis credendum esset, etiamnunc verba luculenter ostenderent, quare et quomodo primitus rebus essent imposita. Hic denuo illud vitium originis manifestum est, quod videlicet etymologiae principia statuebantur a philosophis, ipsa vocabulorum fata nimis ignorantibus. Forsitan dixeris, exempla tantum esse quae in sequentibus afferantur neque Stoicos exemplis, sed rebus per ea expositis fidem habuisse. At nusquam, opinor, istius considerationis apud eos vel tenuissimum exstat vestigium.

---

[1]) Reliqui huius commentationis fontes sunt: Diog. Laert VII 52; Sextus Emp. adv. geom. § 40, adv. phys. II 263, adv. Ethic. 250; Ammonius de interpret. p. 34, 10 sqq. ed. Busse (de quo cf. Steinthal I^2 171 sqq. et 341 sqq., Reitzenstein *Ioh. Maurop.* p. 24 sqq.); Proclus ad Kratyl. § *πγ'* (cf. Steinthal I^2 355), et imprimis Augustinus *Principia dialecticae*, Migne 32, p. 1409 sqq. (de quo vide Schmidt 23 sqq., Steinthal l.l., Reitzenstein l.l. 73 sqq.).

Iam ea, quae mihi iure veteribus Stoicis imputanda videntur, ex fontibus congesta proferam.

Itaque haec στοιχεῖα sunt:

I. Sunt vocabula, quae nulli transformationi subiecta animalis alicuius sonum referunt, h. e. quam potest optime imitantur: e. g. hinnitus, balatus (cf. praecipue Varro R.R. II, 1, 7). Prius genus onomatopoeiae.

II. In vocabulis „quae non sonant" (August.) „valet similitudo tactus" (ib.)[1], h. e. quae in huiusmodi rebus animum movent, ea vocabulo investimus, quod per ipsum sonum eundem animi motum in nobis ceterisque efficiat, e. g. lene (τὸ ἁπαλόν) appellarunt „lene" Romani, quod leniter (ἁπαλῶς) sonat. „Haec" inquit Augustinus, „quasi cunabula verborum esse crediderunt (sc. Stoici)". Hic alterum atque maius onomatopoeiae genus habemus (lingua vernacula „verklanking"). Unum exemplum Augustini plane praeterire non possum. Est autem hoc: v littera habet „crassum et quasi validum sonum"; hinc v in venter, vafer, velum, vinum, vis; a „vi" originem ducunt, „quia violenta sunt", vincula, vimen, vincire; a „vinciendo" vites; via a „vi pedum" aut „a similitudine vitis vel viminis, hoc est a flexu". Sed unde „vis"? Inde, „quod robusto et valido sono verbum rei, quae significatur, congruit. Ultra quod requirat (sc. aliquis), non habet"[2]).

Incredibilem paene hic habemus formae neglegentiam:

---

1) Hoc vere Stoice dictum est, si quidem „tactus" recte eorum opinionem reddit de sensibus naturam habentibus corporalem sive materialem.

2) Quamquam Chrysippus uno loco aliter iudicat. Plato enim (v. supra) litterarum significationem ad sensum refert, quem quis ea pronuntians in ore habet; Chrysippus autem potius μιμητικῶς eam originem intellegit, tam *auditori* quam *loquenti* eam *conspicuam* putans (Chrys. ap. Galen. de Hippocr. et Plat. plac. II 2 apud R. Schmidt l.l. p. 12, A. 20): τὸ γὰρ Ἐγὼ προφερόμεθα κατὰ τὴν πρώτην συλλαβὴν κατασπῶντες τὸ κάτω χεῖλος εἰς αὑτοὺς δεικτικῶς. ἀκολούθως δὲ τῇ τοῦ γενείου κινήσει καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος νεύσει . . . Utrum hoc loco mimicum

perhibere non possumus, praeter illud v reliquam partem Stoicos terminationes duxisse, ut nos dicimus, sed veri est simillimum, eos compertum sibi habuisse, sua principia in hac re parum vel nihil valere, ideoque id iis curae non fuisse. An quisquam Stoicorum umquam omnium vocabuli litterarum eodem modo rationem reddere conatus est? Suspicari licet, — haud scio an non nimis subtiliter — persuasum iis fuisse, mutationem phoneticam, quam agnoverant, unum omnium maxime verborum finem vexare, primam vero litteram integram relinquere, ideoque ad hanc modo animum attendendum.

Utut haec sunt, si Platonis Kratylos non fuisset, numquam, opinor, huiusmodi Stoicorum haberemus *στοιχεῖον*. Sed enim Platonis egregiam explicationem (quasi subtiliorem?) non receperunt, qua is huius rei originem in litterarum variis pronuntiandi condicionibus quaesiverat. „Ultra quod requirat non habet."

Transeamus nunc ad tertium modum. Prooemii loco verba affero Sexti Empirici (ad geom. 40): *καθόλου δὲ πᾶν τὸ νοούμενον κατὰ δύο τοὺς πρώτους ἐπινοεῖται τρόπους· ἢ γὰρ κατὰ περίπτωσιν ἐναργῆ* [1]) *ἢ κατὰ τὴν ἀπο τῶν ἐναργῶν μετάβασιν, καὶ ταύτην τρισσήν. ἢ γὰρ ὁμοιωτικῶς ἢ ἐπισυνθετικῶς ἢ ἀναλογιστικῶς.*

Sextus magis etiam quam Augustinus notionum potius rationes quam eorum nominum describit, ita tamen, ut ne dialectica quidem a linguae contagio servetur integra.

---

tantum gestum describat an etiam phoneticam (e. g. *τοῦ γ*) genesin ipsius soni, diiudicare non ausim. Idem fere apud Gell. X, 4 de Nigidio Figulo. Eius epigonum — mirabile dictu — deprehendimus in Bilderdijkio nostro, de quo videas A. Kluyver in commentatione: „Bilderdijk en de taalwetenschap" Onze Eeuw, 1906 (p. 17). Chrysippi etyma collegit Lersch III 54—57, ubi etiam de eius ratione et meritis pauca disputavit. Scripta eius laudantur i. a.: (Schmidt p. 22, A. 38): *περὶ λέξεων πρὸς Σωσιγένην καὶ Ἀλέξανδρον ε´; περὶ τῆς κατὰ τὰς λέξεις ἀνωμαλίας πρὸς Δίωνα δ´* (Varro L.L. VI 1: „sex libri"); *περὶ τῶν ἐτυμολογικῶν πρὸς Διοκλέα ζ´; ἐτυμολογικῶν πρὸς Διοκλέα δ´.*

[1]) Hoc est: secundum „tactum" rerum sensualium.

Hoc quoque monendum videtur, exempla stupidiora [1]) apud Sextum non rei demonstratae specimina esse neque prohibere, quominus rectus altusque sensus sub iis lateat.

Itaque iam ab iis vocabulis, quae rebus aliqua ratione similes sunt, ad alia genera procedimus, quorum vocabula rebus nominatis *non ex omni parte* congruunt.

III. Si qua res non prorsus eadem est atque alia sed *aliquatenus* ei similis, huius nomen ei *imponitur*, e. g. „crura" dicuntur, „quod longitudine atque duritia inter membra cetera sint ligno crucis *similiora* (August.)." Apud Augustinum: *„rerum similitudo"*.

IV. Ut Augustini verbis utamur, sic comparata est *rerum vicinitas*, „ut usurpetur nomen non tam rei similis, sed quasi vicinae", e.g. minutum = parvum, h. e. „verminderd" et „klein" sunt vicina; idcirco „verminderd" p r o „klein" usurpant.

Haec vicinitas multas habet partes:

a. *per efficientiam*: e.g. „foedus a foeditate porci, per quem foedus efficitur" (August.).

b. *per effectum*: e. g. „puteus, quod eius effectum potatio est" (August.).

c. *per id, quo continetur*: e. g. „urbem ab orbe appellatam volunt (sic!), quod auspicato locus aratro circumduci solet" (ib.).

d. *per id, quod continetur*: „horreum mutata d littera ab hordeo nominatum" (ib.).

e. *a parte totum*: mucro = gladius.

f. *a toto pars*: capillus (tamquam diminutivum intellectum?) = capitis pilus [2]).

---

[1]) Sicut, ubi compositionis affert exemplum *ἱπποκένταυρος* et analogiae *αὐξητικῶς* e. g. *βροτός = Κύκλωψ*, *μειωτικῶς = πυγμαῖος*, illic S t o i c a e quoque compositionis (de qua vide infra) ratio redditur, si quid video, hic tamen de sensus transitione, non de nominum impositione agitur exemplis iam, hercle, huic rei parum idoneis.

[2]) Hoc exemplum suspicionem movet, quia initio compositioni potius illustrandae inservisse videtur.

V. *Abusio*[1]) apud Augustinum: e. g. cum horreum dicimus ad hordeo nominatum, licet triticum in eo asservetur."

VI. *Contrarium.* Si Augustino fides habenda est, hoc modo explicarunt: lucus, „quod minime luceat", bellum „quod res bella non sit", foedus „quod res foeda non sit."

Steinthal (I, pag. 337) de hac figura Augustinum exprobrat, quod Stoicorum rationem absurde turbaverit. Si tamen non ipsi id excogitaverunt, at grammatici post eos mox iam isto modo eorum rationem interpretati sunt (cf. Lersch. III, 92 sq.). Sed non video, cur ipsi Stoici nostram figuram non agnoscere ac comprobare potuerint. Sic ut supra rem disposui, l o g i c e admodum a similitudine usque ad contrarium progreditur. Praeterea, si Sextus (adv. Phys. II 263, cf. Steinthal I² 336) ἐναντίωσιν figuram ut rationem notionum („Vorstellungsfigur") novit et alibi (v. supra p. 56) τὴν ἀπὸ τῶν ἐναργῶν μετάβασιν in etymologia defendit, equidem non video, cur Stoici hac ratione freti atque logicae magis quam ipsi linguae auscultantes, illam ἐναντιώσεως figuram non in etymologiam recipere potuerint, dum rationem inter duas notiones exstantem item inter rem nominandam et nomen impositum adhiberent.

Apud Sextum (ἐπισυνθετικῶς) et Diogenem Laertium (σύνθεσιν) etiam compositionem invenimus, duarum notionum concretionem indicantem. Quae prorsus aliam nominandi rationem indicat, atque praecedentia. Nullus dubito, quin haec Stoicis ipsis debeatur, tam propter eorum huius figurae usum quam ipsius rei probabilitate inductus. Cur hanc igitur Augustinus neglexit? Quia, opinor, neque lingua Latina neque etymologia Romana eam saepe ostendit. De

---

1) Augustini expositio valde confusa est: abusionem bis nominat, in generali parte de *vicinitate* (exemplum: m i n u t u m) et inter IV *d* et *e* (hoc exemplum). Mihi videtur necesse esse, abusionem inter vicinitatem et contrarium collocare, licet logicae contemplationi vicinitas et abusio idem sint: illa enim similia in duabus rebus respicit, haec dissimilia. Plura vide in capite de Varrone (C. II, IV.)

partium autem inter se relatione et natura apud Stoicos nihil invenimus[1]).

Alia exstat divisio apud Proclem l.l. in quindecim classes[2]), quam quoniam et perturbata est neque de Stoicorum etymologia singillatim agit, iure nostro hic omittemus.

Quid meritum, quae indoles huius Stoicae doctrinae est? Constat Augustinum quoque vel eius auctorem in exemplis Latinis eligendis parum apte circumspexisse; apparet igitur periculosum opus esse, eius exemplis fretum Stoicis prioribus inconcinna obicere, quae ex istis elici possint; quamquam auctor Latinus nimirum talia numquam in suum opus recepisset, si de hac re Stoici satis fuissent plani atque perspicui.

Verumtamen praeter ea quae supra iam animadverti, duo sunt, quae ipsae classes haud minus quam exempla explicite monstrant.

I. Hodie nos classes I—II in nominum impositione ponimus, at reliquas III—IV *significationis transitiones* ducimus. E. g. piscina a „vischvijver" > „vijver".

Licet autem fontes nostri hanc rem *pro certo* affirmare non sinant (e. g. „licentia nominandi" et alia eiusmodi apud Augustinum ambigua sunt, quia nominare est tam „benoemen" quam „noemen"), cum cuncta exempla eodem spectantia, tum perfecti formae (qualia habes: „pepererit", „usurpatum est", „dictum est", „appellatam" etc.; opp. e. g. „usurpetur", „vocamus") opinionem commendare videntur, non de usitata nominatione, sed revera de

---

1) Aliter apud Aristotelem, v. supra p. 37 sq.

Quid sibi vult μετάθεσις apud Diog. Laert.? Deestne apud Augustinum? Idem est, credo, atque Augustini „abusio". Separatum genus apud Diog. Laert. (quod Sextus forsitan in ἐναντιώσει ponat) est κατὰ στέρησιν, e.g. ἄχειρ : χείρ.

2) Cf. Steinthal I 355 sq.

nominum impositione hic agi. Quod si rectum est, Stoicos hoc modo secum cogitavisse puto: „vijver" initio dictus est piscina, quod multis rebus similis est alvo alicui, quae pisces continere possit, vel potius, quod in eo pisces natare possunt; non: piscina fuit primitus „vischvijver", inde nunc (etiam) significat quemlibet „vijver".

Sed videamus, ne hoc magis Stoicis eorumque exemplis accommodatum videatur. „Crus" enim exemplum aliam viam monstrat. Crux (secundum II) significat „kruis"; crus idcirco nominatur (secundum III) quod cruci simile est. Quod si ad piscinam adhibebimus, evadet: „vijver" nomine iam exstante piscina nominatum est (sic! non: nominatur), quia „vijver" τοῦ „vischvijver" similis est.

Quae ratio num cum sexta classe conciliari possit, certe non liquet.

Itaque facere non possumus, quin statuamus: Stoicos priores neque distinxisse neque satis novisse:

a. Nominis impositionem sine vocabulorum iam exstantium admixtione (I, II).

b. Nominis impositionem per derivationem (III, VI).

c. Nominationem, quae continetur significationis mutatione.

d. Nominis impositionem, qua alienum nomen iam exstans rei novae hominum voluntate aptatur.

Vereor, ne haec ultima classis ut revera omnium minime est usitata, ita Stoicis maxime comprobata fuerit. Praesertim quod discrepantia inter *b* et *c* eos latuit, id magnum vitium iis est assignandum et per longa saecula (cf. apud Varronem) pessimi fuit exempli, quod in mirum quantum errorum homines induxit vel certe bona semina exstinxit oppressitque.

II. Hoc quoque notandum videtur, Stoicorum classes tam per exempla quam per eorum naturam substantiva tantum spectare. Ubi Augustinus l.l. etiam *vinciendi* etymon proponit, id vinculum modo derivationis est, non per se ponitur. Quod vere Stoicum videtur et redit in Ioh.

Mauropi etymologico (v. infra). Reitzenstein l.l. p. 43 sic dicit: „das ὄνομα muss φύσει vor dem ῥῆμα stehen; es be- „zeichnet ja die Dinge selbst; sie ziehen zunächst die „Aufmerksamkeit auf sich und mit ihnen beginnt die θέσις „ὀνομάτων." Hac in re Stoicis cum hodierna linguae psychologia convenit [1]). Verum ista de maiore substantivi auctoritate opinio tantum valuit, ut reliquas tres partes orationis aut numquam (articulum et coniunctionem) aut raro ac fortuito (verba) in studiorum partem reciperent [2]).

Ad summam, quae Stoicorum etyma in singulis rebus reperimus, neque Heracliteorum (de quibus cf. R. Schmidt p. 23) neque Platonis praestant. Etiamsi ipsam loquendi rationem magis historice definierint, at significationis certe mutatio eos non minus latuit quam superiores, neque discrepantiam derivationis cum ista mutatione melius intellexerunt; contra, phoneticae mutationis, de qua Plato iam insignes observationes dederat, apud Stoicos ne minimum quidem vestigium invenitur, unde talia iis cordi fuisse certum sciri possit.

Controversia de linguae analogia et anomalia ab hac commentatione proprie aliena est, quippe cuius singulae quaestiones, quae anomalam linguae naturam iis patefecerunt, ad declinationem potissimum pertineant. Paucis tamen hic rem tangere velim utpote quae singularem Stoicorum proprietatem aperire videatur.

Quis non miratus est, Stoicos qui linguam φύσει praedicarent, eosdem primos fuisse, qui linguae anomaliam et detegerent et defenderent?

Quibus rebus inducti Stoici linguae studium et etymologiam aggrederentur quibusque rationibus linguam φύσει

---

[1]) Cf. e.g. Wundt *Völkerpsychologie* [2] II 2, p. 9 sqq.

[2]) Quae fuit causa (v. infra), propter quam Varro in L.L. VI alio fonte in parte de verbis usus esse videtur.

esse iudicarent, supra expositum est. Quae cum ita essent, fieri non potuit, quin ipsa ista in linguae partibus occupatio Stoicis, quos non aliter quam Platonem et Aristotelem notionem et eius signum (vocabulum), cogitationem et eius signum (linguam) non duo r e diversa iudicasse monui, persuadere deberet, linguam cogitationis haud perfectum [1]) esse speculum. Inde Stoici, ut philosophi quibus cogitatio, non lingua plurimum valeret, linguae anomaliam pronuntiare sustinuerunt. In hac re perscrutanda magna sagacitate, magno ingenio usi sunt. Ex multis rebus, quibus linguae anomaliam firmare studuerunt, haec excerpo: vocabula ambigua sunt (ἀμφίβολα), eorum sensum contextus tantum declarat, neque is quidem semper; in rebus contrariis [2]) lingua multa laxe vel parum exacte exprimit; neque numerus nec genus in lingua veris et logicis relationibus congruit et alia talia. Ante omnes Chrysippus fuit, qui hanc inquisitionem exorsus exitum brevi formula complexus est: „Chrysippus de aequabilitate cum scribit ser„monis, propositum habet ostendere, similes res dissimilibus „verbis et similibus dissimiles esse vocabulis notatas." (Varro L.L. IX 1).

---

1) Lersch III 55, quod veteres unius vocabuli saepe plures offerebant enodationes, id apud Platonem et Aristotelem in neglegentia ponit, apud Stoicos vero coll. Diog. L. VII 62 Chrysippi doctrinae de cuiusvis vocabuli ambiguitate deberi censet (cf. Gell. XI 12). An recte, valde dubito, siquidem eius amphiboliae differentiae multo minores sunt quam quae in uno verbo tam varias tamque late discrepantes excusaret etymologias. Sed enim doctrina atque eiusdem usus tam apud antiquos quam hodie forsitan non prorsus sit idem, et per tenuem amphiboliae discrepantiam etyma tam late differentia fortasse excusare potuerant. Equidem semper putavi, hac ratione id egisse antiquos, ut miro sane modo ita suam enodationem comprobarent (v. infra de Cratete).

De hac re universa cf. e.g. commentatio unius e nostratibus: J. Elias: *Logica en Grammatica in wederzijdsch verband overdacht* in: Wijsgeerige Bladen, 1905, p. 141 sqq.

Cf Steinthal I p. 360—362.

Quae conclusio tantum afuit ut Stoicorum de linguae origine atque natura opinioni atque eorum studiis etymologicis refragaretur, ut contra illam potius firmare videretur, haec ad tempus integra et suo contenta relinqueret. Etymologiae enim studia etiam post Chrysippum dudum suum retinuerunt locum. Quomodo igitur res se habet? Priusquam linguae anomalia a Chrysippo tam firmis, ut videbatur, fundamentis [1]) posita est, Stoici aliunde rem aggressi pronuntiaverant, cognitionem vel sapientiam in lingua asservatam exque ea eliciendam non dialectica cogitatione et veri cognitione contineri, sed potius eam reddere et tamquam resonare communes omnium gentium [2]) notiones (κοιναὶ ἔννοιαι, προλήψεις), h. e. sapientiae alterum et, ut ita dicam, deterius genus [3]). Anomalia vero agnita hanc opinionem commendari credebant neque etyma indagare desierunt, ut hanc saltem sapientiae speciem ex vocabulis proferrent utque per etymologiam contemplationes suas mythologicas comprobarent atque definitionibus suis firmam omnibusque acceptam acquirerent normam. Quamquam revera in dialectica absoluta et linguae contagio vacua Stoicorum eiusmodi etymologia vim suam amittens prorsus supervacua evadere debuerat.

Verumtamen fieri non potuit quin talis anomaliae conceptio postremum linguae studii sucum omnem ac sanguinem, omnem denique delectationem philosophis dignam adimeret. In hac re Stoici sibi constiterunt, ita ut posteriores scholae sectatores linguae studium omitterent et praecipue ethicae [4]) parti se dederent. Attamen breve illud tempus,

---

[1]) Quam absurdam de hac controversia opinionem posteriores habuerint, optime docet Varro L.L. X 1: „— cur dissimilitudinem ducem haberi oporteret" e.q.s.

[2]) Aliis verbis idem fere pronuntiavit Aristoteles (cf. Steinthal [2] I 193), quamquam aliam conclusionem ex hac re fecit.

[3]) Vide supra et cf. Steinthal I 365.

[4]) Quamquam temporum ratio ipsa non minus ad ethicam colendam allexisse vel coegisse videtur

quo Stoici philosophi et grammatici Alexandrini de hac controversia manus conserebant, tam grammaticae universae quam doctrinae etymologicae fructus tulit uberrimos. Vix Stoici alio se receperant, cum illud culmen, ἀκμή illa abiit [1].

Ex iis, quae a me exposita sunt, sequitur Stoicam etymologiam ad severae dialecticae postulata tamquam ad obrussam exigendam non esse, quippe quae ex ea linguae aestimatione gigneretur, quae logicam naturam linguae utique negaret.

De Cratete [2]. Crates fuit grammaticus in philosophis, philosophus in grammaticis: unde facile colligitur, quanta eius auctoritas, quis eius locus in nostrae disciplinae historia fuerit. Fuit enim quasi pons, quo philosophica contemplatio et logicae normae postulata cum grammaticorum cura, diligentia, experientia congredi possent; de quo congressu supra iam dictum est.

Omnibus notum est, viribus eum omnibus enisum esse, ut linguae anomaliam contra Aristarchum defenderet ac vindicaret.

Equidem autem probe scio, saepe admirationem iam huiusmodi dicta movisse: „Crates aliique Stoici linguae principium in anomalia ponunt". Quod, ni fallor, aut parum apte expressum est aut a vero longe alienum.

Sic res comparata fuerit. Ex duabus, anomalia et analogia, prius illa, a Stoicis scilicet, in medio posita inque brevem redacta est formulam. Deinde Alexandrini, vere in hac re grammatici, quibus linguae ordo axioma, immo ipse rei nucleus esset, analogiam elaboraverunt atque defenderunt, cui tunc „anomaliae postulatum" se opposuit.

---

[1]) Cf. e.g. Steinthal I 374, Reitzenstein *Ioh. Maurop.* p. 88. De huius certaminis fine, v. infra Varro C. II II.

[2]) De eo cf. disputatio et fragmenta in: C. Wachsmuth, *de Cratete Mallota*, Teubner 1860, et Steinthal II 121—127.

Haec tamen nil umquam fuerat nisi negatio analogiae, quam prius „a priori" ut dicitur indistincte suspicati erant, deinde grammatici certa sub forma proposuerant. Non dubium est, quin Stoicis numquam id linguae principium efficiens visum sit [1]).

Cratetis etyma praecipue in eius opere: *περὶ τῆς Ἀττικῆς διαλέκτου* (de qua vide apud Wachsmuthium) continebantur. Quae etyma ex fragmentis excerpsi, ut huc notatu dignissima referrem.

Iam statim sentimus fragmenta perlustrantes, Cratetem potius fuisse Stoicum inter grammaticos quam grammaticum inter Stoicos: adeo omnia accuratius quam apud praecedentes tractata sunt atque subtiliorem rerum grammaticalium produnt notitiam.

Duabus rebus a superiorum etymologia Cratetis differt:

I. Maiorem linguarum exterarum cognitionem in iis ostendit: sic lingua chaldaica memoratur (schol. Hom. A 591, Wachsmuth p. 41), lingua Carum (schol. Hom. B 507 et Et. Magn. p. 145 s.v. *Ἄρνη*), lingua persica (K. *ἐν πέμπτῳ Ἀττικῆς διαλέκτου* apud Athen. XI 497, e).

II. Crates iam, etymologia fretus, ausus est secundum eam etiam vocabuli formam mutare:

Schol. δ 84: *οἱ δὲ* (sc. *Ἐρεμβοὺς*) *τοὺς Ἴνδους τάχα το ἔρεβος, μέλανες γάρ· ὅθεν καὶ Κράτης τοὺς Ἐρεμνοὺς γράφει.* Schol. E H M N Vindob. Odyss. ap. Wachsmuth p. 48.

---

1) Notatu dignum mihi videtur, easdem fere considerationes hodie recurrere in controversia illa de: „die Ausnahmslosigkeit der Lautgesetze". Hic tamen analogiae frater, ipsa exceptionum negatio, p r i u s (a Brugmanno cum suis) quam contrarium in certam formam redacta est. Sic in rebus phoneticis ille ordo, illa „legalitas" haud ita facile menti tamquam necessaria occurrit quam in rebus grammaticis, quae cum hominum mente arctius cohaereant.

In veterum controversia hoc statuere licet, utramque partem alterius rationes non prorsus intellexisse, quandoquidem altera philosophice, altera grammatice — sit venia verbo — linguae originem, naturam, finem considerabat.

Schol. ϑ 260: Κράτης δὲ δύο ποιεῖ (sc. ἤδη), ἦ καὶ δή· διὸ καὶ περισπᾷ τὸ ἦ. Schol. HQ ib.

Aliis tamen rebus, imprimis mythologicis et physicis, iustum Stoicum se praestat, cf. Ioh. Lyd. de mens. IV p. 83 Bekker: Κράτης δὲ ἀπὸ τοῦ διαίνειν τουτέστι πιαίνειν τὴν γῆν βούλεται ὀνομασθῆναι τὸν Δία τὸν εἰς πάντα διήκοντα, ubi noto vitio duobus etymis suam explicationem se firmaturum sperat.

Cetera non habeo quod de Cratete amplius animadvertam.

CAPUT V.

De Epicuro.

Ne in hoc brevi conspectu quemquam praetereamus, paucis de Epicuro agendum videtur quamquam magis per universam de linguae natura opinionem quam de ipsa etymologia bene meritus est.

Quae de eo inveni haec sunt:

Origenes c. Cels. I, p. 18 sq. (ap. Schmidt p. 24, A. 39): ... *ἢ ὡς διδάσκει Ἐπίκουρος (ἑτέρως ἢ ὡς οἴονται οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς) φύσει εἰσὶ τὰ ὀνόματα, ἀπορρηξάντων τῶν πρώτων ἀνθρώπων τινὰς φωνὰς κατὰ τῶν πραγμάτων.*

Proklos ad Kratyl. § ιζ' (cf. Steinthal I p. 169 sq.): *ὁ γὰρ Ἐπίκουρος ἔλεγεν, ὅτι οὐχὶ ἐπιστημόνως οὗτοι ἔθεντο τὰ ὀνόματα, ἀλλὰ φυσικῶς κινούμενοι, ὡς οἱ βήσσοντες καὶ πταίροντες καὶ μυκώμενοι καὶ ὑλακτοῦντες καὶ στενάζοντες* [1]).

Diog. Laert. X 75 (cf. Steinthal I p. 325, A): *τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ' αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων καθ' ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα ἰδίως τὸν ἀέρα ἐκπέμπειν, στελλόμενον ὑφ' ἑκάστων τῶν παθῶν καὶ τῶν φαντασμάτων, ὡς ἄν ποτε καὶ ἡ παρὰ τοὺς τόπους τῶν ἐθνῶν διαφορὰ εἴη. ὕστερον δὲ κοινῶς καθ' ἕκαστα ἔθνη τὰ ἴδια τεθῆναι πρὸς τὸ τὰς δηλώσεις ἧττον ἀμφιβόλους γενέσθαι ἀλλήλοις καὶ συντομωτέρως δηλουμένας. τινὰ δὲ καὶ οὐ συνορώμενα πράγματα εἰσφέροντας τοὺς συνειδότας παρεγγυῆσαί τινας φθόγγους, ὧν τοὺς μὲν ἀναγκασθέντας*

---

[1]) Eodem loco supra dixerat: *ὁ μὲν οὖν Ἐπίκουρος κατὰ τὸ πρῶτον σημαινόμενον ᾤετο φύσει εἶναι τὰ ὀνόματα ὡς ἔργα φύσεως προηγούμενα, ὡς τὴν φωνὴν καὶ τὴν ὅρασιν, καὶ ὡς τὸ ὁρᾶν καὶ τὸ ἀκούειν, οὕτως καὶ τὸ ὀνομάζειν, ὥστε καὶ τὸ ὄνομα φύσει εἶναι ὡς ἔργον φύσεως.* **Hunc locum Steinthal suae censurae exposuit I 170, ubi videas.**

ἀναφωνῆσαι, τοὺς δὲ τῷ λογισμῷ ἑπομένους κατὰ τὴν πλείστην αἰτίαν οὕτως ἑρμηνεῦσαι.

Quid novi igitur Epicurus nostrae disciplinae attulit?

I. Rerum tantum sensualium nomina, initio a quolibet creata, postea *κοινῶς* melius constituta sunt tam brevitatis causa quam ut eorum minueretur ambiguitas. Ratio quam Plato in omnibus vocabulis probat, ab eo solum in rerum invisibilium (*οὐ συνορωμένων*) nominibus admittitur, sc. ut sapientes (*οἱ συνειδότες*) quam optime potest sonis aliunde mutuatis ea designent.

II. Bene perspexit et intellexit naturam linguae physiologicam (cf. *φυσικῶς κινούμενοι*): soni sua sponte in homine nascuntur, hic primorum saltem sonorum aliquid significantium origo est. Id quod Plato non vidit neque Stoici tam clare usquam pronuntiaverunt.

III. Gentes origine atque primitus diversae sunt, quam discrepantiam domicilii locus etiam auget. Hinc illa linguarum differentia egregie explicatur, quam ipso tempore Stoicorum multis scrupulum iniecisse vidimus.

Sed Epicurus, homo ut fuit sensualem rerum naturam atque originem nimis urgens, in hac quoque re modum excessit, quod rationale linguae argumentum eiusque vim in genere humano educando prorsus neglexit. Qui dum unam partem, quasi sit unica, respicit, verbum tantum instrumentum esse pronuntiavit notionis alicuius excitandae, quae ipsa nihil esset nisi memoria rei visibilis (sensualis) saepius repetitae (*μνήμη τοῦ πολλάκις ἔξωθεν φανέντος*, Diog. Laert X 33).

Lucretius, quem Epicuri sectatorem novimus acerrimum, fusam huius doctrinae expositionem offert in l. V 1015. Wundt (*Völkerpsychologie* [2] II, 2, 622 sqq.) nostrum magna aestimatione dignatur atque patrem unius ex hodiernis rationibus agnoscit, sc. quae vocatur „Naturlauttheorie" [1]).

---

[1]) Plures de linguae origine explicationines reperiuntur apud Proclum l.l. et Ammonium l.l., ex parte anonymae. De quibus cf. Steinthal [2] I 169 sqq., 340 sq., Reitzenstein, *Ioh. Maurop.* etc. 23—25, 60, 81, 82. Sufficiat ea hic indicare, quia non habeo quod addam.

CAPUT VI.

De Alexandrinis.

De duabus rebus aliquid notandum videtur: de opinione quam de linguae origine vel natura Alexandrini comprehenderant deque eorum etymologia.

Quia hac disputatione eos tantum respicimus, qui ad Romanorum etymologiam alicuius momenti esse videntur, posteriores grammaticos, qui ex Aristarchi schola provenerunt (de quibus v. Lersch III 61 sqq.), praetermittendos esse existimavimus.

Aristarcho auctore lingua est θέσει [1]. Quae fuerit eorum in lingua occupatio et commeatus reputantibus aliter fieri nequisse videtur, quin linguam creatam esse putarent a mente humana, bona ratione ducta et ordinem ubique componente. Hic iam toti in grammaticorum finibus sumus, qui — mirabile dictu — dum linguam melius et latius noscunt quam philosophi, tamen de vera eius natura ad magis puerilia saepe descendunt cogitata.

Quin etiam nihil aliud eos ad etymologiam compulisse opinor quam considerationes ad explicationem poetarum spectantes: non linguae origo erat, non rerum ex lingua cognitio, sed vocabulorum praesertim poeticorum significatio, qua opus iis erat ad editiones et commentarios componendos atque ad orthographiae usum. Nimirum ipsi quoque opinati sunt, veram significationem ex etymo

[1]) Supra iam de hac formula disputavimus, cf. p. 52 (Steinthal I 325).

plerumque statim elucere neque significationis transitum per temporum cursum factum satis intellexerunt: Homerus iis aetate primus erat poeta, qui vocabulorum pristinum ac primum sensum cognovisset. Quod videlicet non impedit, quominus interdum vocabulorum adhuc exstantium sensum cum superioris saeculi optime comparaverint: cf. Lehrs, *de Aristarchi studiis Homericis* [2], 35—50 et 51 sqq. Proinde quare etymologia apud Aristarcheos numquam ipsa per se tractata sit neque umquam in prima studiorum parte steterit, ex iis, quae dixi, iam abunde apparet.

De natura eiusmodi etymologiae pauca disseram. Ad summam, ieiuna magis fuit Stoicorumque ineptiis atque commentis minus obnoxia. Aristarchus imprimis hac re inter ceteros grammaticos et philosophos unus eminet [1]). Quo factum est, ut compositionem, qualem apud Stoicos deprehendimus, plane omitterent et per derivationem potius non substantiva tantummodo, sed etiam reliquas orationis partes explanare studerent.

Ceterum ὀνοματοποιΐας figuram multis, immo nimis multis locis adhibuerunt et intra terminos soni tantum imitationis (= fig. I apud Stoicos, v. supra) continuerunt [2]). Quod ex Dionysi Thracis definitione (τὸ παρὰ τὰς τῶν ἤχων ἰδιότητας μιμητικῶς εἰρημένον § 14) et ex observatione in Etym. Magn. s.v. σίζω (ubi videas) colligitur, ubi dicitur, talia vocabula flexione suam cum sono similitudinem amittere ideoque esse indeclinabilia.

Quomodo Aristarchus et posteriores ante Varronem grammatici ceteris Stoicorum figuris usi sint, propter exemplorum inopiam vel absentiam diiudicare non licet [3]).

Nonnihil denique de famosa illa figura „a contrario"

---

1) Cf. quae scripsit Cohn, Pauly-Wissowa III 869: „Auch in der Etymologie finden wir bei Aristarch nicht so krasse Irrtümer, wie bei andern Grammatikern."

2) Effuse de hac figura egit multisque exemplis opinionem suam astruxit Lersch III 79—91 et Steinthal I[2] 348 sqq., II 245.

3) Cf. Lersch III 91 sq.

nobis innotuit. Apparet eos non iam κατ' ἐναντίωσιν, sed κατ' ἀντίφρασιν [1]) eam appellasse. Steinthal I 353 sub hoc vocabulo aliam rem latere suspicatur atque in Stoica appellatione: an recte valde dubito. Hac in re nimis stupidos et hebetes eos fuisse omnes consentiunt: hunc τρόπον, qui raro admodum in lingua occurrit (in figura εὐφημισμοῦ et in ironia), dum ad unumquodque nomen adhibere sustinent, emortuum omnino reddunt.

Verum enimvero ad ultimum nondum perventum est. In doctrina sua, qua continetur ὅτι συνέταξεν ἡ φωνὴ τῷ σημαινομένῳ, omnium pessimum documentum praestiterunt, quod a Tryphone vel a superioribus iam inventum esse videtur [2]). Utrum primitus iam a nominum impositore hac ratione ducto an postea ab hominibus vocabulis utentibus nomina ab iusta forma detracta esse crediderint, certo decerni non potest.

Denique Aristarcheos grammaticos, qua fuerunt cura atque diligentia, mutationes phoneticas si non melius perspexisse, attamen clariore quam Stoicos ordine composuisse paucis indicare velim: doctrinam dico de pathologia [3]) soni, πάθεσι τῆς φωνῆς. Trypho huius quoque inventor esse dicitur. At vero hac ipsa re de posteriorum studiis haud scio an male meritus sit: vereor enim, ne ita agens semel meliorem huiusmodi rerum intellectum impedierit. Nempe omnes hanc artem postea praestigiarum vicem exercuerunt atque simplici ratione in unius litterae locum alteram

---

[1]) Cf. Lersch III 92 sq., Steinthal I² 353.

[2]) Cf. Lersch III 82, Steinthal I² 351. Nuperrime F. Sommer in Hermis vol. XLIV p. 70—77 demonstrare conatus est, Lucilium quoque hanc doctrinam secutum esse, ubi in plurali numero - *ei* postulet, in Gen. Sing. vero - **i**: agitur praecipue de frg. 10 et 10b apud Funaiolium (= Ter. Scaur. p. 18, 23 et Vel. Long. p. 56, 2). Si recte, ostendit quam celeriter graecae doctrinae eo tempore in Italiam irruerent. Cf. etiam Lehrs, *de Aristarchi studiis Hom.* ³ p. 325—328.

[3]) Cf. Wackernagel, *de pathologiae veterum initiis*, Basel 1876 (quam dissertationem Lutetiae Parisiorum in Bibliotheca quoque Nationali reperire non potui) et Steinthal I 346 sqq.

successisse rati, neque cur nec qua via nec quae litterae paulatim in alias fere mutarentur, ulterius quicquam quaesiverunt [1]).

Si in fine Lehrsium audimus, hanc habemus sententiam: „grammatici Graeci meliores, in qua re sine dubio aliquammultum Aristarcho debetur in Cratetem nitenti, videntur in hoc genere permodici fuisse (sc. in figura illa: *ὅτι συνέπαθεν* etc.). Apud Apollonium pron. p. 31 quaeritur, cur *τίς*, si nomen est monosyllabum, contra regulam breve sit: „*ἴσως δὲ καὶ ἡ σύντομος τῆς πεύσεως ἀνάκρισις τὸ μακρὸν ι παρῃτήσατο*". Palmaria hercle observatio, quae in tantam obscuritatem, in tam spissam caliginem lucem insignem penetrare sinit!

Cur Aristarchei linguae analogiam defendere non desierint, expositum iam est. Qui cum ab adversariis nimis argutiis urgerentur, tandem paucis quidem rebus linguam severis logicae postulatis non satisfacere denegare non poterant: *ὅτι τὴν διάκρισιν τῶν γενῶν ἡ γραμματικὴ οὐ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ποιεῖ* (Becker An. Gr. II 846, Steinthal I 366). Ceterum huius controversiae tenor atque compositio, sicut eius eventus, ad rem nostram nunciam non faciunt. Legentem ad ea revoco, quae de hac re dicuntur apud Lersch I, Steinthal I 357—374, II 71—161, Reitzenstein, *Ioh. Maurop.* etc. 44—65. Hoc tantum moneo, grammaticis universis linguae analogiam tantopere fuisse rem omnimodo necessariam, ut usque ad finem anomaliam negare deberent, ea quae huiusmodi non videre non possent certis statisque regulis subicientes. Dum ita anomaliam in se recipiunt, re vera analogiae iacturam se fecisse eos latet.

---

[1]) Cf. Etym. Gud. 4, 21: *ἀποροῦντες λέγομεν, ὅτι τροπὴν ἔπαθεν ἢ ἴδιον μετασχηματισμόν.*

CAPUT VII.

De Philoxeno[1].

De viro nunciam nobis disputandum est, qui inter grammaticos erga nostram doctrinam omnium optime meritus est, in quo etymologia graeco-romana ad summum fastigium pervenit, de Philoxeno grammatico Alexandrino.

Aetatem eius Steinthal (II 209 A.) imperante Nerone posuit, Kleist vero et Reitzenstein (*Geschichte der gr. Etym.* l.l.) eum Varronis aequalem fuisse credunt; alia via ac ratione (*Ioh. Maur.* p. 87) hic Philoxeni ῥηματικὸν ante Tryphonis opus de orthographia emissum esse effecit.

Is primus fuit qui linguam non propter auctorum interpretationem sed per se tractaret, primus e grammaticis, qui dialectis graecis et linguarum comparationi animum intenderet[2]).

Ne multa, propterea maximi fuit momenti, quod analogiam, ab Aristarcho eiusque discipulis in declinatione, numero, genere imprimis vindicatam, argumentis et magna experientia fretus etiam in derivatione demonstravit. Quo

---

[1]) De eo cf. H. Kleist, *de Philoxeni grammatici Alexandrini studiis etymologicis* Greifswald 1865; Reitzenstein, *Ioh. Mauropus* etc. p. 81—88. Fragmenta apud M. Schmidt, *Philologus* VI, 667 sqq. (cf. etiam ib. IV, 633), Reitzenstein, *Geschichte der griech. Etymologika* p. 339—342 et 343—347 (certa et dubia), ubi vide de ipso Philoxeno passim; Funaioli, *Grammaticae Romanae Fragmenta* I p. 443—447 (1907).

[2]) Cf. Suidas s.v.

factum est, ut apud eum demum derivatio suum locum obtinuerit.

Qua via ad hunc eventum pervenit? Cum Stoici propter arctam coniunctionem nominis cum re nominata in etymis semper rerum ordinem, non vocabulorum (alphabeticum) sequerentur atque unumquodque nomen per se tractarent [1]), Philoxenus *vocabulorum* ordinem composuit: sic factum est, ut vocabula cognata una poneret et tam partes suffixas, quam sint saepe eaedem vel similes, quam nominum radices dignoscere coepisset. At per vitae tantum cursum hanc rem detexit detectamque elaboravit: initio in etymologia nondum eum a Stoicorum compositionis forma se liberasse constat [2]).

Pathologiae rationem iam novit, sed in ea adhibenda permodicus est [3]). Hinc quoque efficitur, eum ante sed paulo ante Tryphonem vixisse? Ubi littera aliqua in aliam mutata esse videtur, ibi Philoxenus saepissime ex certis declinationis formis (e. g. ex Futuro) id deducere mavult quam ad pathologiae artificium recurrere (e. g. fr. 3 et 7 apud Funaiolium, cf. Reitzenstein *Ioh. Maur.* 86).

Hac re ne Philoxenus quidem mihi rem in meliorem statum perduxisse videtur: verum grammaticum se praestat, qui ordinet potius quam intellegat. Sic tota eius ratio admodum est, ut Germani dicunt, „äusserlich," externa; qua tamen ipsa licentiam coniecturarum et etymologiae perturbationem apud Graecos semel semperque oppressit.

---

[1]) Optimum exemplum praebet etymologicum Iohannis Mauropi, de quo vide infra.

[2]) Cf. Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 87.

Hac re quoque insignis est eius etymologia, quod non, ut Stoici et superiores grammatici, verborum (*ῥημάτων*) veriloquia neglexit, verum in iis singularem posuit curam. Cf. apud Suidam: *περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, περὶ τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων.* Cunctae eius radices positae verba sunt, ut in hac quoque re partim cum hodiernis viris doctis consentiat.

[3]) Ipsa severa suffixorum doctrina saepe iusto maiorem pathologiae usum prohibuit: v. infra exemplum *ὀρρωδῶ* (p. 77).

Apud Romanos istud longe aliter comparatum esse, mox videbimus.

Verum longius Philoxenus progreditur: a radicibus — quas ἀρχάς [1]) vel στοιχεῖα eum appellare veri est simile — in lingua exstantibus ad radices tantummodo p o s i t a s se attollit, qua audacia ad hodiernae grammaticae comparativae principia mire accedit!

Ut iustus autem grammaticus de linguae origine grammatico digna cogitat: is empiria fretus ante omnes a rebus singularibus ad στοιχεῖα, quae ultima attingere potest ascendit. In quibus eius explicatio potius esse videtur explicationis desperatio. Philosophi autem in hac re semper a generali ad singulare, ab hominum natura ad eius per linguam expressionem, cetera quam optime respicientes, descenderunt. Philoxenus tamen dum derivationem quoque certis analogiae legibus [2]) fieri demonstrat, solam istorum στοιχείων creationem cum quaestione de linguae origine conexam fingit. (Unde ipsa derivationis suffixa orta essent quaesivisse non videtur). Quod ad hanc controversiam attinet, Philoxenus nimirum in Aristarcheorum sententiam it, linguam θέσει esse pronuntiando.

Itaque has ἀρχάς non explicat secundum ipsius soni genesin et naturam — ut Plato (et Stoici?) censuerat — „aber so, dass nicht aus der Natur des Klanges, sondern aus den durch die συνήθεια festgestellten Bedeutungen der Ableitungen die Bedeutung des στοιχεῖον gewonnen wurde; die Richtigkeit der Ableitungen wurde durch die Analogie, etwaige Erweiterungen der Bedeutung „über die eigentliche" hinaus durch die „auctoritas" festgelegt" (Reitzenstein, *Geschichte* etc. p. 186) [3]).

[1]) Hae ἀρχαι semper verba monosyllaba sunt, ita ut Orion. p. 152, 7: τάλας · παρα τὸ τάλλω, καὶ τλῶ κατὰ συγκοπήν, ubi τάλλω, non τλῶ primitivum putatur, errore huc irrepserit.

[2]) Exempla apud Kleist l.l. p. 48.

[3]) Cf. de his rebus frg. Varronis (41 Wilmanns, 268 Funaioli apud Diom. p. 439, 25): „Constat autem (sc. Latinitas), ut adserit Varro, his quattuor, natura analogia consuetudine auctoritate." Reitzenstein

Una autem ἀρχή, sive exstans sive hypothetica, varias habere potest significationes. Quaenam istae sint, non ex soni natura, ut vidimus, effici potest (unde vel maxime haec pars θέσει est), verum non nisi ἐξ ἱστορίας [1]) amplecti valemus, dum scilicet, suffixorum significationem certam atque constantem respicientes, ex sensu qui ante oculos est ad istam radicem ascendimus. Haec hodiernorum quoque etymologorum via atque ratio est, qui tamen melius, quam fuit Philoxenus, sibi conscii sunt, quantum sit salebrosa, aberrandi periculis plena, nihil promittens nisi vaga admodum ac varia: significationis ἀμενηνὰ κάρηνα.

Aetate Philoxeni nova moles, officium novum etymologiae se aperuit, quod per eam tam adiumentum in disceptationibus de orthoepeia et orthographia graeca quaerebatur [2]) quam norma atque fundamentum Hellenismi [3]) qui dicitur, quo lingua Attica maxime in totius Graeciae linguam dilatatur. Unde cur novus etymologiae impetus eo ipso tempore manifestus evaserit, facile intellegimus.

Una tamen res est, quae nostro quidem iudicio locum singularem Philoxeno attribuit, quod scilicet primus fuit qui firma ac constanti ratione linguam romanam ex graeca provenisse sibi habuerit persuasum, idque etymologiae demonstrare auxilio conatus sit (in opere περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου).

(l.l. p. 185 et 382, A. 3) hunc Varronis locum e Philoxeno fluxisse suspicatur, quod mihi non omnimodo certum esse videtur.Hac de re quoque egit H. Usener, *Ein altes Lehrgebäude* etc. l.l. p. 623.

[1]) Cf. Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 26, A. 1 et 82, A. 1.

[2]) Cf. Reitzenstein *Geschichte* etc. p. 184.

[3]) Cf. ib. p. 382, ubi de Philoxeni opere περὶ Ἑλληνισμοῦ dicitur: „die Etymologie ist das Kriterium, nach welchem aus dem attischen „Sprachschatz der Hellenismus gebildet wird. So wird die Etymologie „der reinen συνήθεια gegenüber Schranke und κανών, wie die Analogie, „und was der Etymologie entsprechend gebraucht ist, ist ἀναλόγως „gebraucht." Varronem quoque hoc etymologiae officium (a Graecis ?) accepisse, optime ostendit e.g. Serv. Aen. I, 172 (= Funaioli fr. 280b).

Insignia eius etymologiae exempla duo afferre mihi liceat: Or. 121, 21: *ὀρρωδῶ· τὸ φοβοῦμαι. ῥῶ ἐστὶ ῥῆμα, ἀφ' οὗ τὸ ἔρρωμαι, παράγωγον ῥώζω, καὶ μεταθέσει τοῦ ζ εἰς δ ῥωδῶ, ὡς μύζω μυδῶ, χάζω χαδῶ... ῥώζω οὖν ῥωδῶ καὶ μετὰ τῆς α στερήσεως* (mire dictum!) *ἀρρωδῶ καὶ μεταθέσει τοῦ α εἰς ο ὀρρωδῶ, τὸ μὴ ἐρρῶσθαι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ φόβου. Καὶ Ἡρόδοτος ἀρρωδῶ λέγει ἐν τῇ πρώτῃ* (c. 9.)· *ἀπεμάχετο ἀρρωδέων. οὕτω Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ Ἰάδος διαλέκτου.*

Et. Gud. 576, 20 (cf. Reitzenstein *Geschichte* etc. p. 345): *τὸ ψῶ πόσα σημαίνει; δ'. ψῶ, τὸ λεπτύνω, ἐξ οὗ καὶ ψιλὸς ὁ γυμνός· ψῶ, τὸ προσεγγίζω, ἐξ οὗ καὶ ψώρα, παρὰ τὸ ἅπτεσθαι καὶ κνήθειν τὰ πεπονθότα μέρη τοῦ σώματος· ψῶ, τὸ ψάλλω, ἐξ οὗ καὶ ψαλμός· ψῶ, τὸ ψωμίζω, ἐξ οὗ καὶ ψωμός.* Quamquam hoc fragmentum non certo argumento Philoxeno tribuitur.

Cf. etiam fr. 6 (ubi *εὐφωνία* inter mutationis causas numeratur) et 8 (ubi apparet, quanta sagacitate proportiones suas indagaverit) apud Funaiolium.

CAPUT VIII.

De primo etymologico graeco.

Reitzenstein in libro *Geschichte der griechischen Etymologika* (1897 p. 173—183) primus edidit et commentatus est Iohannis Mauropi ab Euchaitis poema etymologicum, deinde (1901) in commentatione: *M. Terentius Varro und Iohannes Mauropus von Euchaita*[1]) (per compendium R.; R.G. = Reitzenstein *Geschichte* etc.) p. 3—30 idem opusculum duplo quidem maius denuo emisit novo codice (A saec. XIV, ex cod. saec. XI, cf. R. G. p. 173; B saec. XVI vel XVII[1], cf. R. 3.) ab ipso reperto.

Hoc poema ad prototypon, a Christiano inter 400 et 701 p. C. factum, redire veri est simillimum. Sagacissima autem computatione usus Reitzenstein demonstrat, Christiani illius etymologicum nihil aliud esse quam „das älteste griechische Etymologikon", ab illo (primum aut aliis intercedentibus? hoc diiudicare non licet) in usum suum conversum. Initio Reitzenstein Seleuco, Homericus qui dicitur, id tribuebat, qui aetate Augustea vixit (cf. R. G. 374 sqq. inter Tryphonem et Herodianum); verum nova eaque plenior opusculi forma ei ostendit, Seleucum auctorem esse non potuisse. Itaque iam fretus vs. 53,

[1]) Cf. de hac commentatione: Goetz Berl. Phil. Wochenschr. vol. XXI (1901) p. 1031, E. Norden, D. Litt. Z. 1901, p. 87, Rohrscheidt in Gött. Gel. Anz. 1908, 791—814, Wessner in Bursians Jahresberichte, 113 (1902) p. 124 sub *Aelio Stilone*. Pauca in Pauly-Wissowa, Supplem. (1903), p. 15 (Goetz).

ubi contra Philoxenum, Varronis ipsum aequalem, arguitur, primo ante Christum saeculo scriptum esse perhibet. Iohannes Mauropus etymologicum, quod ei exempli et argumenti instar erat, tantummodo contraxisse videtur, de suo nihil fere addens (R. p. 18).

Ex rerum ordine, non a prima primisve litteris, poema compositum est. Agitur de deo, de rebus physicis, de elementis (— vs. 125), de homine, de corporis partibus (— vs. 288), de animalibus rationis expertibus (— vs. 397), de arboribus (— vs. 470). Ut plantas quoque lumine suo illustraret, tempus ei defuit: *ἄλλοι με πικροὶ συνταράξαντες πόνοι / ἔπαυσαν ἄφνω τον γλυκυν τοῦτον πόνον.* Ut Stoicum decet, corporum nomina animi appellationibus anteposuit, ideoque, quia temporis ratione hanc partem aggredi non poterat, substantiva (= *σῶμα*) tantum tractavit, verba (= *ψυχή*) vero apud eum non inveniuntur. Qua de re ad Reizensteinium, qui (R. p. 43 sq. cf. supra p. 61) de hac re fusius egit, legentem reicio.

Idem etymologicum (inter 400—701, v. supra) alius quoque usurpasse videtur, Iakob ab Edessa episcopus, apud quem tamen non ipsa etyma servata sunt, verum qui in scholio eius operis prooemium in usum suum convertit. Ex hoc prooemio quaedam excerpere mihi liceat, in qua re me a Reitzensteinio nonnullis locis dissentire confiteor.

Humanos sonos in vocabulum coniungendi unusquisque liberam habet facultatem. Hanc coniunctionem vocabuli loco rei imponere potest itaque illi soli vocabulum *est* (ut Hermogenes apud Platonem arbitrabatur). Verumtamen ideo nondum iustum est vocabulum. Neque enim rei natura, neque consuetudo (*ἔθος* apud Platonem) atque hominum conventio (*συνθήκη*) id, sicut fieri debet, ratum fecerunt.

Hic novi aliquid nostra commentatio affert: dum enim appellationes *θέσει* creatas atque ideo prorsus arbitrarias esse censet, posthac demum naturam rerum (*φύσιν*) in vocabulis suam vim exercere arbitratur. Nam publica *συνθήκη* ea tantum verba comprobari, quae secundum rerum

naturam facta sint, comprobataque eadem ἔθει conservari iudicat: at reliqua videlicet aboleri neque ad plenam vitam perduci posse. Si non verum, attamen lepide excogitatum!

Hoc modo duas rationes, φύσει et θέσει, primum conciliare conati sunt, de qua re multum invenies apud Reitzensteinium. Namque dum impositio θέσει integra manet — id quod antiquis linguam excogitari, non ex homine nasci, nimis semper credentibus postulatum paene semper visum est —, *re vera* tota res ad linguae originem φύσει redit. At, dixerit aliquis, qua ratione unusquisque nostrum vocabula format, qua iudicii norma populus in discernenda rerum natura dignoscit? Ad haec scholium nostrum non respondet.

Interdum autem natura rerum cognosci non potest; quod ubi fit, hac via auxilium petitur, ut „sie (i.e. imprimis lingua graeca et hebraica) die meisten dieser Welt angehörigen Dinge von Thätigkeiten, die sich bei ihnen finden, oder von Qualitäten, die sie an sich tragen, benennen." (R. p. 21 vs. 60 sqq. Haec verba e lingua Syriaca versa sunt a viro doctissimo Nestle.) Quae res imprimis in nomine Dei occurrit, cuius naturam intellegere non possumus, quique ideo a variis populis variis nominibus ab eius actionibus mutuatis nuncupatur.

Alia autem divisio apud eum exstat, quae quomodo cum priore cohaereat, haud plane est perspicuum. Distinguit enim: *a.* vocabula, quae „infolge alter Gewohnheit bei allen Völkern (sich) finden und keine Ableitung zeigen, wovon und woher sie genommen sind; *b.* während andere eine Ableitung haben und durch ihre Bedeutung zeigen, wovon sie genannt werden."

Reitzenstein autem illud genus (*a*) cogitare videtur, ubi describit (R. p. 23) „Worte, die lediglich durch solchen Willkürakt geschaffen sind". Quod equidem in toto scholio reperire non possum neque ullo modo doctrinae supra expositae concinere potest, si quidem ista constans sibi esse putatur.

Quod ad priorem classem attinet, res mihi videtur ad-

modum ambigua. Stoici enim vetustiores, ut vidimus, linguis circumiacentibus magis magisque animum advertere coeperant, ita ut non omnino denegare possimus, recentiores Stoae sectatores ad novam atque eo tempore inauditam conceptionem pervenisse, qua linguae cunctae ex una lingua primitiva profectae esse crederentur.

Scrupulum vero movent res variae tam in poemate quam in scholio, quae dubio procul ex Christianorum mente ac religione fluxerunt. Atqui omnibus notum est, communem linguarum originem e Bibliis Sacris in profana scripta saepe esse translatam, cuius rei insigne documentum exstat apud Isidorum Orig. IX 1 1 et XII 1 2.

Verum haec ad tempus integra relinquamus necesse est. Utut sunt, non video quare vocabula sub a. descripta aliter atque posteriora, modo sc. prorsus arbitrario, creata esse putanda sint. Itaque sic mihi rem fingo, veterem illum etymologum, quisquis fuit, nonnulla verba prae vetustate non iam quae essent et unde essent discerni posse opinatum esse: reliqua vero etiamtum dignosci posse et rerum naturam aut actionem aut qualitatem aperire.

Iam videamus, ipsumne poema ad has prooemii rationes bene se adiungat.

In versu 47 sqq. ultima i.e. prima vocabula (non : radices!) omnem explicationem recusare pronuntiat auctor Stoicus: sunt enim quasi *ἀρχαί* linguae atque *πάμπαν εὐθύνης δίχα· ἀρχὴ γὰρ ἀρχῆς οὐδαμοῦ φαίνει πέρας.*

Quomodo haec cum doctrina in prooemio exposita conciliandа sunt? Duae sunt viae, ni fallor, quae hanc conciliationem promittunt.

Fatendum est, talia in vero Etymologico Stoico primitus non exstitisse, sed postea ex Philoxeni doctrina in id fluxisse, sive aetate Augustea sive inter 400 et 701 p. C. n. [1]). Philoxenus enim primus *στοιχεῖα λόγου* in doctrinam recepit,

[1]) Philoxeni opera etiam ab Oro saeculo V p. C. adhibita sunt, cf. R. G. p. 342, 348.

quae tamen non, ut apud nostrum, iusta vocabula, sed tantum vocabulorum radices erant.

Quod si non comprobamus, animadvertendum est vocabula quae ἀρχῆς vice funguntur, πῦρ et γῆ (vs. 47) explicite barbarorum linguis adiudicari, utpote Ἕλληνι δ' οὐ θέλοντα κρίνεσθαι λόγῳ. De lingua graeca autem versu sequenti dicitur (vs. 51): κλήσεις φέρει γὰρ βαρβάρους παλαιτάτας [1]). Quae quoniam dubio procul ex Platonis Kratylo (v. supra, ib. p. 409 D, 410 B) desumpta sunt, non cum ipsa ratione in hoc prooemio exposita arcte cohaerere debent. Si nihilominus cohaerent, talia vocabula huius viri iudicio eadem sunt, quae (supra p. 80) sub *a* descripsi. Tum cogitandi ratio talis fuisse videtur, linguam graecam vetustissima vocabula ex sua verborum copia explicare non valere, sive quod prae nimia vetustate eorum origo obscura maneret sive quod ipsa haec vocabula reliquis linguis cum graeca fuissent communia neque interdum apud Graecos usque superessent, essent vero apud alias gentes, de quarum tamen linguis certi nihil comperire possent.

Vereor tamen, ne concinnitatem nostri systematis firmare conantes interpretatione ex eo eliciamus, quae non plane insint.

Constantia huius opusculi, qualiscumque est, tam in etymis quam in ratione exposita stoicam prodit mentem, eamque dubio procul Stoicis demum recentioribus propriam. Id quod ipsa de linguae origine sententia manifesto arguit. Una tamen res est, qua aperte a Stoicorum doctrina segregatur: non enim omnium vocabulorum etymologiam indagari posse credit, cum Stoici semper perhibuerint unumquodque verbum etymon in se abscondere, quod si nondum esset inventum lateret [2]). Denique stoicae rationis

---

[1]) Unde haec provenerint, dubitari non potest coll. Plat. Krat. 425 E: — ἢ ἐκεῖνος (sc. λόγος), ὅτι παρὰ βαρβάρων τινῶν αὐτὰ παρειλήφαμεν, εἰσὶ δὲ ἡμῶν ἀρχαιότεροι βάρβαροι; ἢ ὅτι ὑπὸ παλαιότητος ἀδύνατον αὐτὰ ἐπισκέψασθαι, ὥσπερ καὶ τὰ βαρβαρικά.

[2]) Cf. Augustin. *Princ. Dial.* c. VI: „Stoici autumant — nullum

imitationi (*μίμησει*) haud nimis confidere videtur, ubi dicit (vs. 168): *οὖς, ὡς σαφοῦς ἄμοιρα πάμπαν αἰτίας/κἂν τις βοῆς μίμησιν ἠχώδους λέγῃ.*

Compluribus locis, ut dixi, Platonis vestigia leguntur, quae, quatenus etyma modo sunt, Reitzenstein in annotatione collegit. Nimirum stoicae doctrinae auctoritas semper fere multo est maior etiam in dictis: e.g. prooemii vs. 28: „— damit man nicht falsche Begriffe mit diesen Namen „und Ausdrücken erzeuge, sondern wir *jedes Ding mit seinem „eigenen Namen nennen.*"

Quibus rebus Philoxenus impugnetur, aut contra ratio [1]) eius adhibeatur, Reitzenstein (p. 28 sq.) accurate descripsit.

Nunciam breviter etymologici indolem atque compositionem evolvere conabor. Quod ut facerem, etyma in tabulis redegi, separavi, composui, scriptoris observationibus quam potui plenissime iis immixtis.

Compositio. Compositionis ratio omnium maxime adhibetur. Ex duobus tribusve vocabulis compositio fieri potest, quae quoniam variae orationis partes esse possunt, infinitum divinandi spatium relinquunt nec non immanem figurarum vel generum efficiunt numerum. Accedit quod scholion docuit, nominis causam aut in rei natura aut in eius actione vel qualitate quadam contineri, sicut *ἀμήχανον ὅσῃ* evaserit etymorum varietas. Usque ad vs. 284 non minus viginti quattuor genera numeravi. Quae omnia recitare longum est. Exempli nomine substantivi species excerpam.

„esse verbum cuius non certa explicari origo possit" et paulo inferius: „innumerabilia sunt verba, quorum origo, de qua ratio reddi possit, aut „non est, ut ego arbitror, aut latet, ut Stoici contendunt" (idem supra: „— et utrumque lateat"). Cf. Varro L.L. VII 45, VIII 2: „tamen latent multa."

[1]) Nempe ubi Philoxeni radices non hypotheticae sunt, sed in lingua exstant, ibi noster eius etyma in usum suum convertere non gravatur, quoniam illius radices haud minus quam huius monosyllaba explicationem respuunt.

Subst. + subst. (e.g. *πηγή* vs. 69), verb. + subst. (7) subst. + verb. (24), praepos. + subst. (*ἀπηλιώτης* 39), subst. + adverb. (17), negatio + subst. (34), subst. + adi. (30), subst. + praepos. (117), adverb. + subst. (86), adi. + subst. (217); etiam verb. + subst. + adi. (45), adv. + verb. + subst. (84), partic. + adv. + subst. (228).

Relatio inter partes compositas valde est diversa, immo interdum etiam omnino deest atque duo vocabula, nonnumquam diversae orationis partes temere c o p u l a n t u r: e.g. vs. 25 ubi *ἄλιος* nomen ex: *λοξὸν δ' ἰὼν ἄλην τε πάσχων* explicatur. Compositio ex verbo et nomine esse potest: verbum + Acc. obiecti (7), verbum + Abl. modi vel Instrum. (76, 83), etc.

Nonne chaos illud inordinatum, illa licentia nulla re, ut videtur, impedita admirationem nostram movere debet? Composita, quae in Homero adeo dilucida, adeo perspicua praesto sunt, meliorem, opinor, compositionis intellegentiam docere debuerant. Atqui non fecerunt. Ergo hic denuo cognoscimus, quantopere Stoici simul linguae vernaculae notitiam ad hanc rem haberent iusto minorem, simul eam, quam conquisissent eius intellegentiam, ad linguae statum vetustiorem transferendam esse non perspicerent [1]). In huiusmodi tamen considerationibus numquam obliviscendum est, non primum illud Etymologicum nobis ad manum esse, sed tertium vel etiam ulterius repetitum. Haud plane igitur videtur esse negandum, Iohannem Mauropum sive alium quendam non solum multa omisisse, sed etiam hic illic parva quaedam mutasse vel addidisse, ubi versus ratio eum compelleret.

Siquis ad haec etyma accedat certam compositionis normam in iis detegere cupiens, vereor ne mox spe deposita abeat. Equidem tale *εὕρημα* iactare non possum. Ne multa — nihil aliud hic invenimus quam Platonis *ῥῆμα* in *ὄνομα*

---

[1]) Quod opprobrium etiam Platonem, ex parte tantum, petit: apud eum enim nondum tam dissolutum tamque perturbatum deprehendimus compositionis usum: copulatio e.g., de qua supra sermo fuit, merito deest.

transiens, cuius praeceptum sub forma quidem generali nec non usum tantum respicienti his fere verbis comprehenditur: rem de qua agitur brevi sententia describas, in qua aliquid vel plura de ea enuntiantur; ex qua sententia quaedam — haud nimium interest quaenam potissimum — eligas, ut ex his partibus unam appellationem nullis legibus usus comprimas atque confles.

Ut scholium iam docuit, tres classes distinguere debemus: *a.* quae rerum naturam, *b.* quae rerum actionem, *c.* quae rerum qualitatem declarant.

a. Haec etyma rarissima sunt. Namque natura saepe non elucet, saepissime vero brevi etymo comprehendi non potest; cuius rei exempla cito vs. 20 et 34. Itaque inter *a* et *b* atque *a* et *c* interdum fines non admodum certi atque stabiles sunt.

b. Vocabula longe plurima actionem quandam ostendunt, quamquam non amplius duodecim genera ex viginti quattuor verbum in partibus compositis monstrant. At saepe fit, ut verbum in ῥήματι inveniatur neque tamen compositionis particeps sit.

c. Reliqua qualitatem patefaciunt, si modo „qualitatis" significationem laxiorem accipias (qualitatem temporis, loci, materiae etc.). Hoc tamen non praetermittendum mihi videtur: cum etymologia hic vendita ita comparata esse possit, ut si non ipsam naturam attamen qualitatem demonstret prae ceteris rei propriam, tum alia ibi veriloquia nominandi materiam ponunt in eiusmodi rebus, quae aut omnia multave pariter aut alia multo magis insigniant. Neminem fugit, opinor, hanc ultimam rationem parum egregium reddere testimonium auctorum intellegentiae in rebus praecipue semasiologicis.

At bona fortuna ista stultissima ratio apud nostrum non nisi raro occurrit. Postea vero in Romanorum etymologia numerum ingentem inveniemus, qui praeclare ostendit, viros doctos (?) quo longiore spatio a scientiae exordio absint, eo magis in ipsis principiis agnoscendis saepe hebetiores evadere

et quasi caecos. Quod non iis vitio ducendum est, quia res ipsa saepius ita fert.

In *ῥήματος* dispositione vocabula, quae compositione participantur, una locare solet; unde colligere nobis licet, auctorem re vera credidisse, non ex verbis dispersis, sed ex tali *ῥήματι* fieri compositionem. Quod ubi omisit, plerumque agitur de nominibus valde perplexis, ut quae plus unum habent praedicatum. Nullus igitur dubito, quin primum etymologicum talem enuntiandi normam sibi proposuerit.

Porro etymologici ratiocinationem hoc modo libenter fingere vellem: id quod de aliqua re dici potest, fortasse enuntiatum relativum per verbum substantivum vel copulam in classe *a* et *c*, per verbum aliquod in classe *b*, primitus rei appellationem fuisse; eam temporis cursu attritam, compressam, conflatam ex pristino in statum praesentem abiisse. Quod utinam sic esset! Sed totus libelli tenor, totum argumentum dubitare nos non sinunt, quin aliter res se habeat: nusquam mutationis historicae, nusquam phoneticae mentio vel minima iniecta est. Legentes ita movemur, tamquam re vera auctor in linguae origine vocabula ex his partibus quasi constructa esse atque exinde usque ad hunc diem in eodem statu permansisse censuerit. Mutationis ratio redditur nulla, permutatio tantum soni, idque raro, notatur: e. g. (vs. 39) *ἀπηλιώτης δ' ἀντὶ $\overline{\text{φι}}$ $\overline{\text{πι}}$ λαμβάνει.* Neque est cur suspicemur, episcopum nostrum meliores de hac re observationes in eius exemplo obvias, quod supervacuae sibi viderentur, tam penitus erasisse, ut nullum hodie vestigium superesset. At, quaeso, non vixit Plato neque de vita linguae deque causis psychologicis, quae in ea sentiuntur, praeclaras nec non sagaces ille posteritati reliquit opiniones? Re vera ita esse videtur, licet etymorum materia hic quoque locis compluribus a Platone mutuata sit. Utrum iocus et ludicrum, quibus Plato cogitata sua in Kratylo implicuit, causa fuit, cur posteri haec atque talia neglexerunt; an fuit Stoicorum in hisce manifesta socordia vel segnitia?

Iam vero, siquis longius in eorum officinam penetrare

velit, si causarum nexum ibi aperire studeat, ubi omnia nunc fortunae dedita, arbitraria, omni denique ratione orbata vacillare videntur, talibus ausis bonum eventum promittere licet? Non credo. Quae numquam fuerunt, reperire non possumus. Quaerentibus in singulis rebus, quae hominem direxerint, causarum catena infinita semel semperque erepta est.

Hic legentem ad ea reicio, quae Wundt *Völkerpsychologie*[2] II, 2, 498 sq. dixit: „... dem nämlichen Gesetz, das die „Sprache von Anfang an bei der natürlichen Benennung „der Gegenstände eingehalten hat: sie richtet sich nach „der im Blickpunkt der Aufmerksamkeit stehenden Partial- „vorstellung. Dabei kann natürlich das bevorzugte Merkmal „je nach den sonstigen Vorbedingungen, insbesondere also „je nach der Wirkung der dunkler bewussten Elemente, „ein sehr verschiedenes sein. Ja die Bedingungen der „Apperzeption sind an sich so variabel, dass eine Benen- „nung, falls sie sich nicht aus einer ursprünglichen Zeit „wirklicher Sprachgemeinschaft erhalten hat oder aus der „einen Sprache in die andere eingedrungen ist, in der Regel „eine abweichende sein wird," quam sententiam compluribus exemplis illustrat.

Tale aliquid hic quoque occurrit, ita tamen, ut etiam ex pluribus rebus cogitatio consistat. Accedit enim id, quod in veterum coniecturis de etymologia dubio procul principatum tenuit, sc. ipsius vocabuli forma. Quibus aliis vocabulis vel vocabulorum partibus quodque nomen maxime simile esse videtur, ea nimirum sub eius forma latere divinant, dum modo per significationem liceat. Haec autem ipsa significatio ubi in iudicium vocatur, isdem tenemur difficultatibus, quas Wundt evolvit, quia ut illic populi, ita hic homines singuli [1]) identidem differre videntur, atque

---

[1]) Id quod nimirum eodem redit, cf. imprimis H. Paul *Principien der Sprachgeschichte*, [4] 1909, ubi in praefatione hanc sententiam contra Wundtium defendit.

hi quidem etiam a se non minus quam ab aliis, si temporum ordinem observamus. Quaerentes igitur, quare inter duas coniecturas, quae in certo vocabulo propter formam maxime ostendi videbantur, hanc vel illam comprobaverit aut quare potius talem significationem primitivam ex forma posita eruere conatus sit viamque eo ducentem statim sit ingressus, responsum non nisi perraro excogitabimus [1]).

Nihilominus est ubi in spissam illam caliginem lux quamvis tenuissima parumper penetret.

Exemplum sit vs. 66: *πέλας δὲ τῆς γῆς πέλαγος εἶναι δεικνύει.* Quare — quaeso — quare non huiusmodi aliquid: *ὅτι πέλας ἄγει?* Quae fuisset, ni fallor, maris informatio venusto quodam colore perfusa necnon eandem aperiens mentem teleologicam et prope dixerim puerilem, quam saepe in his etymis deprehendimus. Contra cum duo in mundo distinguas, mare et terram, dicere illud huic esse propinquum, cui non talis sapientia paululum videatur inepta? Ergo cur ita egit vir ille doctus? Sic mihi rem solvo: alteram vel alias explicandi rationes non comprobavit, quin etiam plane non vidit, quia in divinando semper syllabarum divisione ducebatur, ita ut non *πελ/αγος*, sed *πελα/γος* (aut in Dativo *πελα/γει*?) discerneret [2]). Movemur, quasi nostrum adhuc vocabula alta vel media voce secum repetentem audiamus atque, ut fit, syllabas singulas lente enuntiantem.

Pleraque etyma hanc rationem affirmare videntur. Ubi refragantur, semper fere aliae adsunt causae aliam viam cogentes sive hanc intercludentes. Affero exemplum vs. 34 sq., quibus *νέφος* ut *νε* + *φως*, *νεφέλη* autem ut *νεφ/ελη* = *νέφη ἐλαύνων* explicatur. Causa obvia est: *νέφος* vox praecedens

---

[1]) Interdum tamen haec etyma insigni et praeclaro modo ostendunt, quam mirae multarum rerum notiones in antiquorum mente exstiterint, qua de causa spernenda non sunt.

[2]) Idcirco in vs. 186: *σείων δ' ἄγοις ἂν εὐμαρῶς σιαγονάς*, verbum *ἄγειν* agnoscere non dubitat.

necnon manifesto νεφέλης vocabulo affinis menti adhuc haerebat; contra divisio νε/φελη ei in lingua graeca nullam solutionem promittebat.

Quid quod non minus quam Plato certas rationes maxime in deliciis habet, ut etiam atque etiam quasdam litteras totis verborum radicibus aequet. Exempla : ν < ἄνω (vs. 13, 17, 18, 71, 451 etc.[1]); Platonis dubio procul hereditatem adit quotiens -ι- verbo ἰέναι, -ρ- verbo ῥεῖν interpretatur (e.g. vs. 24, 36). Saepe κ verbo κάειν adaequatur (e.g. vs. 446, 459 sq.), -τηρ- a verbo τηρεῖν originem repetit (e.g. vs. 234, 236, 247).

Haec atque talia legenti plus semel mihi succurrit, huiusmodi etyma, quamvis initio risu atque excusatione tantum digna esse videantur, tamen proxime accedere ad multa hodiernorum virorum doctorum etyma, eaque ingeniosissima quaeve a plurimis iure approbantur : sic ubi Solmsen K.Z. XXXVII, 18 „testis" ut „qui tertius adstat" = tri-sti- explicat; sic cum a quibusdam in „miles" non minus quam in „comes" eundi verbi radix *-i(t)-* latere putatur.

Reitzenstein iam animadvertit[2]), ad Philoxeni doctrinam referendum esse, quotiens in etymologico nostro haud de vocabulis vel verbi radicibus in lingua exstantibus alia derivantur verba, sed de hypotheticis tantum elementis. Ibi dubio procul Philoxeni ῥηματικόν adhibitum est[3]). Eundem Philoxenum habemus, ubi ex certis declinationis formis[4]),

[1]) Profectus est a vocabulis, quae — ἀν(ο, ε, etc.) ostendebant, inde ἀναλογιστικῶς ad cetera progressus esse videtur. Notandum est p r i m a tria exempla — ανο — habere : unde si concludere velis, nostrum etymologicum revera primum fuisse apud Graecos, aut ei quam maxime (imprimis dispositione) simile, nimis audax videtur coniectura.

[2]) Cf. *Gesch.* p. 179 sqq., *Ioh. Maur.* 28 sqq.

[3]) Tam propter vs. 52 quam propter universum libelli contextum et indolem suspicari vetamur, has partes Philoxenianas postea demum in alteram vel tertiam editionem insertas esse.

Expresse dicit (vs. 54) vocabulum monosyllabum ultimum esse linguae elementum quod ulteriorem non patiatur enodationem.

[4]) E.g. vs. 179, imprimis 246, 254, 303, 458. Reitzenstein etiam vs. 116 et 160 laudat, haud scio annon recte. Cum enim primus fons his

praecipue ex Futuro (et Futuro Dorico quod dicitur) nomina explicantur. Unde profecti duplicem opusculi naturam optime intellegemus, quae multis locis se ostendit, quamquam saepius sentiri quam dignosci potest. Illinc enim est ratio illa, quae accurate formae habet rationem, dum omnes litteras interpretari studet (e.g. vs. 179 e. a.): grammaticae auctoritatem potius agnosces; hinc vera stoica etymologia est, quae formam non aeque diligenter respicit, imprimis vocabulorum e x q u i b u s compositio fit: derivationem severam, qualis Philoxeni fuit, non noverunt, at vocabuli radicis, ut nunc loquimur, incertam quandam habuerunt notitiam, eamque in usu tantum natam: e.g. vs. 110 *χρόνος νεάζων εἶς ἀεὶ χεῖται ῥέων*, ubi „*νεάζων*" non secius quam „*νέος*" vocabulo tantum *ν(ε)* - tribuit. Quod superest, appendicis vice fungitur. Statim occurrit, hic derivationis scientiae tempus futurum nihil promittere: immensum fere intervallum inter duos aequales, Philoxenum et nostrum, interest. At contra concedamus oportet, hanc etymologiam, ut partes componentes neglexerit, ita in vocabulo composito maximam curam atque diligentiam consumpsisse, qua maiorem grammatici ne initio quidem vocabuli umquam dedisse videntur. Ab ipsa tamen linguae vita longissime remoti sumus: lusus paene erat, sed lusus quem ludebant assidue, cum eius rationi nondum diffiderent. Posterior etymologia, imprimis Romanorum, vitiis haud ita magnis maculata erat, sed nostro iudicio scientiae potius desperatio erat quam scientia ipsa.

Idem, quod supra (p. 28) iam notavimus, hic rursus invenitur. Consonantes magis quam vocales in divinando observantur, quippe quae vocabuli quasi ossa sint, quibus licentia maiore vocales ut caro inducuntur.

Locus noster id quoque explicare videtur, quomodo

---

locis Futurum habere potuerit, tum haud minus fieri potuit, ut ab eo explicarentur *νύξ* tamquam *νύσ(σει) κόρας*, *θρίξ* tamquam *θέρει* + *σκέπει*, utrumque per metathesin.

antiqui eiusdem nominis saepe duo plurave etyma proponere sustinuerint, ut vs. 179: *χείλη δὲ χεῖ λόγους τε καὶ λείως ἔχει.* Cuius rei hodie nonnumquam illam explicationem audimus, id tantummodo posterioris aetatis esse, quae crassa Minerva varia eiusdem nominis veriloquia una posuerit, cum aut non intellegeret unum tantum verum esse posse, aut ex pluribus optionem daret. Verumtamen haec ratio iam apud Platonem praesto est, qui eius dux atque auspex fuisse videtur. Quae cum ita sint, aliter res se habet. Vera causa eadem est, quam supra attigimus: ut verbum, de quo agitur, summa cura dignantur, ita in eius „maioribus" describendis nullam diligentiam collocant. Hic non optio datur (v. supra *τε καί*), sed utrumque rectum esse perhibetur. Nequaquam sibi repugnant, at e contra invicem se adiuvant atque confirmant [1]. Mira illa profecto scientia est, quae dum summis viribus causam suam defendit eam perdat, cum nihil melius quam suam ignorantiam aperiat.

Tria sunt, ni fallor, quae hunc eventum effecerunt, primum sc. quod linguae studium a philosophia ortum in nostro etymologico adhuc eius parasitus videtur; deinde quod historica rerum contemplatio in aliis quoque doctrinis nondum satis valebat, ut generale eius ostenderetur momentum; denique quod quaestiones hic tractatae immani erant difficultate. In hac re grammatici id tantum effecerunt, si non id egerunt, ut omnia magis redderent plana, impetum iis adimentes: in latitudinem, ut fit, non in altitudinem hanc doctrinam extenderunt.

Quid quod non solum verba componentia identidem in certis declinationis formis adhibentur, sed etiam enodandi vocabuli saepe ea maxime forma eligitur, quae idoneam

---

[1]) Legenti vs. 284: *καὶ πέλμα γῆς πέλασμα πίπτον εἰς πέδον*, et 333: *ἠχὴν δ' ὁ χὴν δίδωσιν, ἣν χαίνων χέει*, semper animo occurrit, poetam his locis soni pictura suam coniecturam probare voluisse — accedit quod *πίπτον* per contextum nullo modo exigitur —, ut omnia haec *π* ostenderent, quam recte hoc nomen a *π* inciperet. Kratyline principia hic etiam in usum convertuntur an nova ratio hinc exorditur?

coniecturae ansam praebeat: e.g. Nominativus αἴξ (vs. 303), quamquam omnes fere casus -γ- exhibent, Genetivus in τόπου (vs. 281), quod haud invenuste ac lepide tamquam τὸ ποῦ explanatur? Huius rationis inconcinnitatis sine dubio numquam perspectae defensionem excogitare non conati sunt, ita ut dicere non possis, Nominativum τόπος secundum illos analogiae via ex Genetivo esse formatum [1]).

Quantopere lusum, non scientiam hic habeamus, optime patet ex vs. 335 sqq., ubi poeta autumat, περιστερά et πελειάς aves alteram alterius habere nomen, ἀντιστρόφως δὲ τὴν διώνυμον νόει. Idem habes vs. 212 sq. [2]). Compluribus locis lectorem benevolum, ut suam quisque ex etymis eliciat sententiam, admonet: cf. e.g. vs. 435: Φοίνιξ, ὁ καρπὸς, ἐστι φοινικοῦς χρόαν· / εἰ δ' αἵμασι γέγηθας, ἐκ φόνων λαβέ. (cf. vs. 104, 163, 424). Quid quod nonnumquam etiam particulis, quamquam ad etymum nihil omnino faciunt, explicationis partes tribuit? Cf. vs. 159: τὸ δέρμα δ' ἔ ρ μ α σαρκὸς ἀσθενοῦς, δέρος (duplex etymum), et vs. 88 δρόσος δ' ὅ σ ο ν τι μικρὸν ὕδατος μέρος [3]). Equidem non facile adducor, ut credam, res tam ineptas, tam stultas in primo etymologico graeco iam obvias fuisse [4]).

Onomatopoeia. Secunda explicandi ratio in onomatopoeia posita est, sc. est genus, quod apud Stoicos descripsimus prius, soni ipsius imitatio. Alterum hic non invenitur.

Loquitur de hac nominis origine in vs. 169, non prorsus ei assentiens, et vs. 239. Exempla, ut par est, praecipue avium nomina exhibent — id quod Varro non secius habet—:

---

[1]) Mirum est ποι = που „alicubi" (vs. 299). Hoccine posterioris aetatis indicium est? Quamquam ipsa forma per etymum constat.

[2]) Cf. etiam vs. 134 et 194 sqq. (ἀλληλονύμως, sed cf. R. G. p. 179).

[3]) Cf. etiam vs. 237: ὄνυξ δ', ὃ νύσσει δέρμα σαρκὸς καὶ ξύει, ubi denuo duplex explicatio (an una?) exstat.

[4]) Semper nomina componentia ipsa nominat. Quid igitur sequitur ex versu, qualis est 353: λευκὸς πελαργὸς καὶ πελιδνὸς ἐν μέρει? Idem habes in vs. 28, ubi συνάπτειν manifesto verbum ἀλίζειν indicat. Hoc loco haud dubie secundae manus socordiam deprehendimus.

e.g. *κόκκυξ* (352), *κίχλη* (354), *τρυγών* (358), *τέττιξ* (380: *τ. τερέττιξ τερετίζων εὐτόνως*). Haec exempla optime ostendunt, hanc explicationem tunc temporis etiam bene intellectam esse et in antiquorum mente viguisse. Postea — multo post figuram *κατὰ ἀντίφρασιν* — et haec eo usque devenit, ut adhiberetur quocumque ingenii lumen non penetraret.

Derivatio. Iuxta compositionem derivationem quoque offendimus, verum istam perraram. Haec ratio e paupertate nascitur, quam adhibeat in iis verbis, quae aut nimis sunt brevia (ut *θεός* vs. 4 sqq.) aut per formam compositioni haud satis aptas praebent ansas aut quorum derivatio omnibus in propatulo est (e.g. *πρηστήρ* vs. 95). Hac quidem re etymologia Romanorum postea certe non melius grassabatur, velut ubi monumentum explicavit, „quod moneat m e n t e m". Cf. e.g. Serv. Aen. III 486: Varro L.L. VI 49.

Nomina longe plurima e verbis derivantur, pauca e substantivis (e.g. vs. 26, 37, 112). Socors atque laxa illa etymologia, cuius Romani postea tenuerunt principatum, admodum rara est, e.g. vs. 180: *πρόσω πρόσωπον, αἱ δὲ παρειαὶ πάρα.*

Paulo aliter comparatum est, ubi duo verba inter se aequantur nullo suffixorum adminiculo: e.g. (vs. 16) *δαίμων* = et < *δαήμων* (vs. 284), *πέλμα* = et < *πέλασμα.*

Figura, cui nomen est *κατὰ ἀντίφρασιν*, haud crebra invenitur, neque id plus semel nomine ipso notata [1]: fortasse vs. 33 (ubi tamen compositio ex *μη-(μέ)νον* > *μηνη* subesse potest), et vs. 382 praecipue: *νικᾶν θαρρεῖ κἄνθαρος ἀετὸν λέγω, / ὃν καὶ καθαρὸν ἀντιφράζων ἂν φράσαις.* In tali exemplo antiphrasis quadamtenus excusanda esse videtur, quia ironia hic eam creare potuit.

Στερήσεως quoque, ut dicitur, exempla exstant, cf. imprimis vs. 34: *στέρησις ἡμῖν ἡλίου φωτὸς νέφος*, cuius figurae natura igitur cum Stoicorum plane convenit.

Mythologia. Stoicos etiam propter suam de natura

---

[1]) Alio sensu simile dictum usurpat v. supra p. 92.

opinionem maxime mythologicorum nominum enodationi studuisse, omnibus notum est. Cf. Lersch III 105 sqq.. Cum tamen Stoici priores potissimum in deorum etymis versarentur, usus aliorum nominum ex mythologia sumptorum apud nostrum permodicus est. Exempla sunt: 356 sq. *ἡ Φάσσα δ'αὖ καὶ κίσσα δυστυχεῖς κόραι / λήρους γενάρχας μυθικοὺς κεκτημέναι.* Cf. etiam vs. 406 (*Συκῆ*), 455—457 (*Δάφνη*, *Μυρρίνη*).

Nomen geographicum usurpatur in *Δαμασκηνοῖς* (426).

Mutuatio. Raro nomina ex exteris linguis mutuata esse putantur. Ut iam vidimus, vs. 47 *πῦρ* et *γῆ* tamquam *παλαίταται βάρβαροι* amoventur, id quod haud scio an semel dictum ad omnia monosyllaba pertineat (cf. R. 29). Alia sunt: *ζίζυφον* (vs. 433, cf. R. 30 de verbis: *βαρβαρίζων προσφέρου*), et fortasse *φοῖνιξ* (vs. 435) [1].

De rebus phoneticis. Certum numerum horum etymorum in tabulis digessi, disposui, denuo alio ordine composui ut de rebus phoneticis quoque inde aliquid statuere mihi contingeret. Quae spes ideo tantum me frustrata non est, quia eam non conceperam: quippe notiones de legibus quibusdam phoneticis omnino desunt, atque o r d o vel c o g i t a t i o in adhibendis variis mutationibus, crasi, metathesi etc. frustra apud eum quaeruntur.

Paucae igitur sufficiant observationes.

Aphaeresin usurpasse eum apparet: quae mutatio quia satis manifesta est, profecto eum fugere non potuit. Exempla: *ἀ]παλάμη* (226), *νι]κάνθαρος* (382), *ἐ]ξύλον* (400).

Syncope quoque invenitur: *μασητόν* < *μαστόν* (262), *πέλασμα* < *πέλμα* (284), cf. imprimis, quae dicit vs. 461: *μικροῦ δὲ ταὐτὸν πιότης τε καὶ πίτος.* Hic, si usquam, doctrina longissime remota est neque — id quod etiam peius est — desideratur.

Metathesis multis locis se ostendit: e.g. *αγ-λογος* > *ἄγγελος* (? vs. 7), *αη - μενος* > *ἄνεμος* (vs. 44), *καρναυο* > *κεραυνὸς* (vs 96), et vs. 116 et 160, de quibus iam supra sermo fuit.

Haplologiae exempla pauca habemus: cf. *μήνη* < *μη - μεν-* (vs. 33).

---

[1]) Nimirum etyma vs. 8 sqq. postea demum inserta sunt.

Litterarum additiones apud eum, qui multa nomina in unum comprimit, ut par est, parum sunt frequentes. In nominis initio interdum fortasse deprehenditur: cf. vs. 88 et 159 (supra p. 92).

Reliquae mutationes, tam vocalium quam consonantium, adeo sunt incertae omnibusque legibus solutae, ut de iis certi nihil referre possimus.

Ipsius observationes phoneticae perquam rarae sunt: de vss. 39 et 461 iam locuti sumus [1]).

Sed enim hic maxime monendum videtur, nos non archetypum nostri etymologici in manibus habere, ita ut de rebus singularibus certo diiudicare saepe nequeamus [2]).

Postremum hoc notatu dignum videtur, hic quoque propagines serpere mirae illius doctrinae, quae vult *συμπάσχειν τὴν Φωνὴν τῷ σημαινομένῳ* [3]), tametsi non iisdem verbis describitur. Exemplum sit vs. 115, ubi noctem, ut quae ipsa sit obscura, ideo quoque in etymologia esse impeditam dicit. Eodem tendit vs. 102, ubi *ἀντιστρόφως* memorat, vocabuli *Φῶς* etymum nihilo magis esse dilucidum — id quo hodie numquam moveamur, tamquam a re inexpectata atque mira. Lusus apertus est in vs. 307 [4]).

Tribus denique exemplis illustrare mihi liceat, quo tandem ineptiae ac stultitiae aliquis devenire possit, si de rebus semasiologicis nequaquam certa principia vel regulas constituerit. *Οὐρανός* veriloquium noster haud bene intellexit: nunc enim vs. 18 ad *πόλος* etymum pertinere videtur,

---

1) Ad huiusmodi explicationes alludere videtur in vs. 112 sq.: *ὥρα δ' ὅρος τις τῶν μερῶν τῶν τοῦ χρόνου· τὴν δὲ γραφὴν ἄλλος τις εὐθύνει λόγος.*

2) Quaestio oritur, num in alternatione e.g. *ν* : *λ* (cf. vs. 65) vel tenuissimus subsit sensus — cuius videlicet vir doctus nequaquam sibi fuerit conscius — *ν* et *λ* phonetica ratione sibi esse cognata ideoque saepius locum commutare. Notandum certe et hic et alibi videtur, sonos nulla affinitate coniunctos, quales sunt *β* et *σ*, numquam fere tali coniectura vexari.

3) Vide supra p. 71 sq.

4) Sc. *σῦς, μῦς μύοντας συσκιάζει τοὺς λόγους!*

licet eius exemplum dubio procul coll. Plat. Krat. p. 396 B tale aliquid de οὐρανῷ ipso dixerit. Verba, de quibus agitur sunt: ὁρῶν ἄνω τε τοὔνομα γνωριζέτω κτλ. Itaque, quod quis facere debet, ut rem propositam videat, id etymi causam praestat! Platonem haec difficultas non fugit, quippe qui dicat l.l.: ἡ δὲ αὖ ἐς τὸ ἄνω ὄψις καλῶς ἔχει τοῦτο τὸ ὄνομα καλεῖσθαι, οὐρανία, ὁρῶσα τὰ ἄνω.

Praeclarius idem vitium instat in versu lepidissimo (186): σείων δ' ἄγοις ἂν εὐμαρῶς σιαγόνας. At plane ad inanem garrulitatem descendit in vs. 185: θεῷ δὲ γναμπτὰς συγκεκαμμένας γνάθους ubi, si dis placet, ad vocabulum referre non veretur, quod ad rem examinatam nullo modo spectare possit.

Ceterum poeta in omnibus fere versibus ea dixit, quae variis modis abunde cavillari possemus, si modo huiusmodi propositum nobis esset. Quod tantum abest, ut semel pronuntiare malimus, operae pretium non esse, stultitiae frustula undique converrere. Quae cum ita sint, silentio iam praetermittenda censeo.

Sinon suspicionem, attamen admirationem forsitan apud nonnullos movere possit, quod nullum vestigium neque re neque verbis in hoc etymologico eorum principiorum invenimus, quae Augustinus Stoicorum nomine exposuit. Duo tamen obliviscenda non videntur. Istud systema potius ex etymologiae usu deductum quam ad eam fulciendam nec non dirigendam excogitatum esse, omnibus manifestum esse arbitror. De tempore autem, quo meditatum est, certi nihil comperimus; at primis certe Stoicis nondum esse imputandum, equidem mihi persuasum habeo.

Altera causa est, quod Stoicorum rationes omnia effuse tractant, sed ipsam compositionem nonnisi obiter et strictim tangunt, utpote quae ad dialecticam minoris iam sit momenti, nostrum vero etymologicum omnium maxime

compositioni favet. Unde sequitur, hoc silentium nihil habere, quod mirum videri possit.

Multa indicia luculenter indicant, scriptorem primum — nam quaedam vestigia tam arcte cum etymis conexa sunt, ut nullo modo a posterioribus inseri potuerint — vixisse tempore itacismi. Cuius rei exempla quaedam insignia affero vs. 16, 118, 369, 373, 412 (?), 422—424 etc.

Ut plerumque, sic in etymologia norma iudicandi haud absoluta ostenditur: at historica ratio comparationem inducit, quae suo loco uniuscuiusque merita relatione et proportione illustrat.

Quod mecum reputans adducor, ut uno exemplo demonstrem, quid etymologia graeca eius rei respectu optimi praestiterit.

Noster de vocabulo *βροτῷ* in hunc modum disputat (vs. 134): *φθορᾷ δὲ βρωτῶν τον βροτὸν προσεῖπέ τις.* (Quis iste *τις*? cf. vs. 428 sqq. ?). Alia huius vocabuli commentatio exstat in Etym. Gud. (laudata apud Reitz. *Gesch.* p. 150: *βροτός· ἐκ τοῦ μείρω, τοῦ μερίζω, γίνεται μορτός, μροτός, και ἐπει οὐδέποτε ἀμεταβολον ἀμεταβόλου προηγεῖται τρεπεται το μ̄ εἰς β̄ και γίνεται βροτός· καὶ τὸ μετουσιαστικον βρότειος. τα δια τοῦ ειος ὀνόματα μετουσιαστικα ἢ κτητικὰ ὑπόστασιν (ῡ) ἢ μερος σωματος δηλοῦντα δια τῆς ει διφθόγγου γράφονται —, βρότειος, δρακόντειος καρα, ἐκτόρειος χιτών.*

Quanta inter hos duos discrepantia! Quam si recte aestimaveris, subinde ipsa comparatione assequi tibi licebit, quid Philoxeni meritum erga nostram doctrinam fuerit, quantave apud posteros eius viri auctoritas, qui cum ceteris grammaticis unice novam etymologiae viam monstravit neque passus est, apud philosophos eam vitae nomine morte teneri, quae nullam ei futuri spem relinqueret.

Ad summam, etymologicum nostrum habemus scriptum ab uno ex Stoicis recentioribus, qui, philosophus potius quam grammaticus, ab his dispositionem tantum studiorum acceperit. Legentes atque relegentes movemur cogitatione, hunc virum doctum iam longae seriei extremum fuisse,

qui tamen ipse primus vel secundus dispersa etymologiae Stoicorum frustula collegerit, de suo nonnihil addiderit, denique ex Philoxeni grammaticorumque doctrina multa suo libello inseruerit, haud ita apte neque, opinor, sic, ut diversae illae partes lectorem laterent attentum. Quae vero eius pars grammaticae dedita fuit, recens necdum gravibus posterioris saeculi maculis vitiata erat. Quae cum ita sint, hinc quoque profecti ad eandem conclusionem pervenimus, quam Reitzenstein tempora nostri viri docti respiciens consecutus est.

PARS SECUNDA.

ETYMOLOGIA APUD ROMANOS QUOMODO COMPARATA SIT.

Praemonenda.

Iamque igitur videamus, quid Romani etymologiae principiis atque usu, quae iis a Graecis erant tradita, fecerint, quid addiderint, mutarint, aboleverint, quid denique sponte iam sine Graecorum auxilio ipsi excogitaverint [1]).

Antehac iam fragmenta ad etymologiam temporis antevarroniani pertinentia excusseram, quicquid ex iis concludere licebat naviter colligens. Verumtamen haud multum inde profeci. Namque aetate ante Aelium Stilonem non solum nihil novi sed etiam prorsus nihil provenit, quod memoratu dignum videretur, uno Lucilio excepto, de quo supra iam sermo fuit (v. p. 71, A. 2). F. Sommer (*Hermes* XLIV p. 70—77) causam suam obtinuisse mihi videtur,

---

[1]) De re universa egerunt: Lersch III 113 sqq., Wölfflin in: *Archiv für lateinische Lexicographie* VIII 421 sqq., 563 sqq., Hendrickson *Classical philology* 1906. Nonnulla invenies in: Suringar, *Historia Critica scholiast. latin.* (1834) et in Reitzensteinii commentatione, v. Pauly—Wissowa s.v. Etymologika. Fragmenta apud: Funaioli, *Grammaticae Romanae Fragmenta* (1907), de quo libro fusius egerunt: Tolkiehn, in Berl. Ph. W. 1908, 1181 sqq., Goetz. in G. G. A. 1908, p. 805 sqq. et Wessner in Bursians Jahresberichte 1908 bd. 138—141 p. 83 (v. supra).

De hac translatione a Graecis ad Romanos facta paucis disseruit Reitzenstein *Geschichte d. Gr. Et.* (passim).

arguens Lucilium maxime postulato fretum, ὅτι συνέπαθεν ἡ φωνὴ τῷ σημαινομένῳ, etyma et observationes de orthographia protulisse.

Post Aelium Stilonem tres tantum habemus, qui n o n p l a n e praetereundi esse videntur: sunt Aurelius Opillus, Hypsicrates, Nigidius Figulus. Hic praecipue propter suam pronominum personalium explicationem (cf. Fun. fr. 23 apud Gell. X 4) insignis est, unde evidenter elucet, tunc temporis eum tam Chrysippi huius quaestionis solutionem quam universam de analogia controversiam cognitam habuisse. Vide supra p. 55, A. 2.

Ego tamen hos quattuor iamiam praetermittendos mihi esse censeo propterea quia, quae Lersch vol. III passim de iis disputavit, repetere non libet neque inter eos unus vel alter ad Aeli Stilonis erga hanc disciplinam merita propius accessisse, nedum ea superasse videtur. His de causis nunc satis habeo, lectorem ad Lerschium et Wölfflini commentationem reicere, quibus quod addam equidem non habeo.

Neque eo minus cuncta ista opera certam linguae partem explicantia posterioribus permagni fuerunt momenti. Quicumque plus semel Festum inspexerit eundemque libro lecto Reitzensteinii *Verrianische Forschungen* (1887 = Bresl. Abh. I) consuluerit, is quot opera etymologica sive paucis fragmentis sive nomine tantum scriptoris vel scripti nobis innotuerint non ignorabit. Quibus si addideris fragmenta „ex incertis incertorum libris", quae Funaioli p. 114—118 collegit, mecum nimirum facies, viam nostram et lubricam et satis esse salebrosam.

De Aelio Stilone igitur maxime agendum esse puto, quippe qui hac de causa inter omnes aetatis antevarronianae viros doctos emineat, quod *primus* linguam latinam *universam* ratione etymologica perquirere instituisse videtur.

CAPUT I.

De L. Aelio Stilone [1]).

Pauca, quae de eius vita nota sunt, Mentz et Goetz l.l. luculenter enarraverunt. Ex quibus ea tantum excerpam, quae ad nostram rem facere videbuntur.

Aristarchus vixit circiter a. 216—144 a. C. (cf. Pauly—Wissowa II p. 862), cuius aequalis fuit Crates. Varronis aetas fuit ab anno 116 usque ad 27 a. C., quo tempore et Philoxenum vixisse veri videtur simillimum. Nunciam constat inter viros doctos Aelium vixisse inter annos 160—80 (cf. Mentz l.l. p. 7 et Goetz l.l.), cuius discipuli fuerunt Varro et Cicero.

Aetate ineunte Lucilii amicitia fruebatur (Auct. ad Heren. IV 12, 18) — id quod ad intellegendas eius notiones grammaticales haud spernendum videtur. Metellum Numidicum amicum anno 101 Rhodum in exilium comitatus est, ubi eum Dionysium Thracem grammaticum et Apollonium Alabandensem audisse probabilis coniectura est [2]).

1) Praeter ea, quae iam memoravi, cf. F. Mentz, *de Lucio Aelio Stilone*, Lipsiae, 1888 — Comm. phil. Ien. IV), E. Norden, *de Stilone Cosconio Varrone grammaticis commentatio* (1895), Goetz in Pauly—Wiss. I et supplem. s.v., Reitzenstein *Ioh. Maurop. v. Euchaita* etc. p. 30—54, R. Kriegshammer, *de Varronis et Verri fontibus quaestiones selectae*, Lipsiae 1903 (de quo cf. Wessner in Bursians Jahresberichte 1908, vol. 138—141 p. 85 sqq., qui eius conclusiones haud prorsus probat).

2) Cf. Reitzenstein l.l. p. 52, A. 3, Mentz p. 17.

Cicero diserte de eo dicit (Brut. 56, 206, de quo loco cf. Norden l.l.): „sed idem Aelius Stoicus esse *voluit*", ubi ex contextu elucet, eum hanc Aelii inclinationem nequaquam approbasse, et vero non multum aberrabimus, si Ciceronis iudicio Aelium non Stoicum omnibus numeris perfectum fuisse statuemus. Optime huc quadrat, quod Cicero duobus locis [1]) Stoicorum etymologiam carpit, et cum saepe Aelium laudet, tum *numquam* veriloquium refert eius ipsius nomine ascripto.

Cetera testimonia [2]) in hunc modum coniungenda sunt: Aelius sui temporis erat doctissimus, „eruditissimus Graecis „litteris et Latinis", totam regionem antiquitatum et historiae Romanorum cognitam habebat, „quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per se — pluribus et illustrioribus litteris explicavit" (in Ciceronis Bruto a. 46 a. C., h.e. ante libros Varronis de L.L. V sqq. emissos). Optime Varro describit (Cic. Acad. post. I, 2, 8 a. 45 a. C.), quanta Aelii et postea sua doctrinae moles fuerit: „quae autem „nemo adhuc docuerat nec erat unde studiosi scire possent, „ea — feci ut essent nota nostris; a Graecis enim peti non „poterant ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis „quidem" (cf. Mentz p. 20). Haec dubio procul ad Antiquitates referenda sunt, quas Norden (l.l. coll. fragmento ex satyra „Sexagesis") a. 56, Usener vero (*Ein altes Lehrgebäude* etc. p. 631) a. 47 a. C. finitas esse putat; cf. Schanz Röm. Litt. Gesch. I, 2^3, p. 434. Quas tamen quia permulta etyma continuisse constat, haec non minus ad Aelii etymologiam pertinere videntur. Sed quid sibi volunt

---

[1]) Sunt hi: Fest. p. 202 M., ubi Cicero de se loquens: „ut imitetur(?) „ineptias (ms. inertias) Stoicorum"; Cic. de off. I, 7, 23, ubi *fides* secundum Stoicos dubitanter a „fieri" verbo derivatur. Quos his locis Stoicos Cicero indicavit? Credo ipsum Aelium nostrum. Namque haec duo etyma optime Stiloni conveniunt neque aliunde etymologus Stoicus nobis notus est praeter eum solum,

[2]) Cic. Brut. 56, 205—207, Acad. post. I, 2, 8; Varro L.L. VI 59, VII 2; Gell. I 18, 2, V 21, 6, VII 15, 5, X 21, 2, XVI 8, 2.

illa: „ac post L. Aelii nostri e.q.s."? Nihil igitur harum rerum scripto mandaverat, ita ut moriens omnia secum auferret? Quamquam ad hanc rem in capite de Varrone redibimus.

Heusdium (*de L. Aelio Stilone* p. 60, a. 1839) secutus Mentz contra Schoellii in hac re sententiam „librum quendam etymologicum" Aelio attribuit, de quo (p. 21) haec dicit: „ita puto institutum fuisse, ut Aelius multa verba „aut rara aut obsoleta colligeret et partim etymologia, „partim exemplis undique litterarum sumptis, partim utraque „ratione illustraret", ut magnam glossarum varietatem ita explicaret (p. 16). Cui sententiae assensi sunt Reitzenstein (*Ioh. Maur.* p. 43), Kriegshammer (l.l. p. 110 et 122), Goetz in Pauly—Wissowa l.l., Funaioli p. 59. Quin etiam Reitzenstein in opusculo saepius laudato hunc Aelii librum hypotheticum Varronis in L.L. VI, V, et VII[1] parte unicum fontem fuisse perhibet, quam sententiam Rohrscheidtio et Goetzio probavit.

Quae coniectura quoniam in capite de Varrone accuratius perscrutanda est atque haec nova fragmentorum Aelii turba ad tempus perquam dubia mihi videtur, Aelianae etymologiae descriptio certis tantum fragmentis tamquam fundamento utens dubia omnia seponere debet.

At, quaeres, hic Aelius στοϊκίζων utrum analogiae defensor fuit an anomaliae? De hac re fusius egit Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 52, A. 3, ubi F. Marxium oppugnat demonstrare conantem Aelium fuisse Aristarcheum (cf. Goetz in Pauly-Wiss. supplem. 1903, p. 15). Ex fragmentis 49 et 49*a* (=Char. p. 129, 31 et p. 130, 1) suo iure concludere mihi videtur, Aelium non fuisse analogiae sectatorem, cui rei optime mihi quidem accomodatum videtur, quod Aelius, ut Varro L.L. VI 59 attestatur (cf. Gell. X 21, 1), nova verba necdum usitata, quae analogiae via ac ratione formarentur, repudiare solebat.

Iam vero Aeli Stilonis quis fuerit etymologiae modus, quantum ex fragmentis colligere liceat, percenseamus. In

recenti Funaiolii collectione 51 fragmenta inveniuntur, 27 dubia, 1 falsum. Ex quibus veriloquia continent certa 32, dubia (quae asterisco * designabo) 14. Quorum conspectus talis est.

Per compositionem explicantur: assiduus (fr. 6 apud Fun.), lepus (12), novensiles (? cf. Mentz p. 15, Fun. fr. 22), nuscitiosus (? cf. Mentz p. 14, Fun. fr. 24), pandere (27), petaurista (28), pituita (29), portisculus (? 30), procestria (? 31), volpes (46), * iuglans (58).

Alia vocabula originem non in lingua Latina habent: pescia (fr. 3, graecum), Dius (9, graecum), novalis (21, graecum), * nefrendes (? 64). Oscum est dalivum (8); sabinum est Sancus (9); ex lingua praenestina derivatur „tongitio" (40, cf. * nefrones fr. 64). Lanuvii linguam, unde ipse oriundus erat, Aelium memorasse verisimile est propter Macr. Sat. I, 3, 13 (cf. etiam * nebrundines fr. 64).

Reliqua verba in Romanorum solo nata esse putantur. Onomatopoeiae unum tantum exemplum habemus in fr. 13 = Cic. de leg. II 59: „L. Aelius lessum (sc. suspicatur), quasi lugubrem eiulationem ut vox ipsa significat."

Figura κατ' ἀντίφρασιν Aelius, ut omnibus notum, abusus est (cf. Mentz p. 13): caelum (fr. 7), Maniae (14), miles (15), ordinarius (26); * lucus, * Ludus, * Dis (59), * simultas (71, cf. Fun. ad locum).

Duo inter se aequantur nomina: Fidius = filius (fr. 9) et Novensiles = Novensides (? 22, cf. Mar. Vict. p. 26, 1).

Reliqua per id, quod nos derivationem appellamus, explicantur: sc. fr. 1, 2, 10, 11, 16, 17, 20, 23, 32, 33, 39, 42, 45; insuper dubia: 52, 53, 60, 62, 72; i.e. 13 certa et 5 dubia.

Compositio. Huius rationis indoles stoica iam inde ab initio obvia est. Etyma, qualia sunt: *petaurista*, *pituita*, *volpes*, graecum nostrum etymologicum ilico in mentem revocant: eundem membrorum ordinem, eandem audaciam atque illic habemus [1]. Quamquam, nisi comparatio paucorum

---

[1]) Aelii fr. dub. 58 *(iuglans)* idem est atque Ioh. Maur. vs. 445!?

fragmentorum cum toto libro etymologico claudicaret atque lubrica esset, pronuntiare non dubitaremus, mentem hic nobis ostendi moderatiorem atque speculationibus semiphilosophicis minus indulgentem. Cum enim ipsa vocabula tractata ex lingua cottidiana potius desumpta sunt [1]), tum eorum coniecturae semasiologicae non iam aeque cothurnatae videntur. Omnia sicciora et frigidiora sunt neque ita audacia ut apud Graecum. Quo magis haesitamus in explicatione „nuscitiosus" adiectivi, si modo ex vocabulis: *nisi usque ad oculos* ab Aelio re vera coagulatum est, id quod Mentz p. 14 suspicatur.

Similiter quaestio oritur, num Aelius (fr. 30) „portisculus" ex portu et classi compositum putaverit. Quod si verum ducis, quid vetat etiam „procestria" (fr. 31) ex *port-ekstria* duplici metathesi coaluisse eiusdem nostri iudicio? Verum quoniam ipsius Aelii verba nobis ter tantum (fr. 5, 11, 28) tradita sunt, hanc rem disceptare non licet neque licebit. Equidem ingenue fateor, Aelium meo iudicio his locis aut etyma dare noluisse aut alio modo huiusmodi verba expedivisse. Haec opinio iis fulcitur, quae legimus apud Festum p. 138, b M.: „monstrum, ut Aelius „Stilo interpretatur, a monendo dictum est, velut mone„strum." Is, qui hic tam accurate verbi originem describit, ut etiam formam quandam mediam coniectura assequatur, idem alio loco veriloquia tam immani audacia offerre non potuit.

In his rebus constans sibi neque fuit neque esse umquam studuisse videtur. Namque *dandi* vocabulum *-dere* gignit *(pandere)* et *-duus (assiduus)*; contra *pet*-redit ad petendi verbum *(pituita)* et ad graecum πέταται *(petaurista* [2]*)*;

[1]) E.g. *pituita*. Ioh. Mauropus talia infra studii dignitatem posita esse arbitrabatur, cf. vs. 267 sq., 377: haud scio an non primi etymologici scriptor huiusmodi effutiverit.

[2]) Quidni *petauristae* nomen explanavit, velut „petens auram", id quod et expeditius et accuratius fuerat? Nimirum, quia id graecum noverat vocabulum. Atqui tum petaurum ignorare non potuit. Melius hercle Lucilius eodem loco de hac re iudicavit (Fest. p. 206^b, 26 M.).

tertium „pes" integer manet in *volpes*, mutatur in *-pus* in „lepus"; *-culus* fortasse „classis" vocabulum celat *(portisculus)*, alibi nihil nisi appendix esse videtur *(puticulae*, fr. 32*)*.

Iam vero rogare possumus, quae verba prae ceteris ita explicare studuerit. Verba aut longa aut artus quoddammodo habentia distinctos atque ideo coniecturis praebentia ansam aut quorum ultima pars eum alicuius vocabuli clare commonefaceret, ut *volpes*, *pituita* (v = u̯ : u). Contra si qua vocabula finem habebant saepe usitatum — de certis suffixis apud eum sermo nondum esse potest — saepe occurrentem, hanc partem non eodem modo explicandam esse, quamvis per nebulas, perspexit: e.g. *molucrum*, *monstrum*, *novalis*, *puticulae*, *victima*. Nonnumquam et hic erravit sicut in vocabulo *assiduus*. Eum tamen hac re Iohanni Mauropo praestare negare non possumus: stultae illae suffixorum explicationes, quae illic occurrunt, hic non inveniuntur. Simulac Varronem quoque eodem modo verborum partes ultimas tractare vel potius neglegere perspexerimus, virum, cuius discipulus ille fuerat, in hac re haud melius profecisse minime mirabimur.

Praeclare Cicero duas illas rationes diversas describit, ipse Aelii discipulus (Top. 8, 36): — „in quo (sc. postliminii vocabulo) Servius noster, ut opinor, nihil putat esse „notandum nisi post, et liminium illud productionem „esse verbi vult, ut in finitumo legitumo aeditumo „non plus inesse tumum quam in meditullio tul„lium; Scaevola autem P. F. iunctum putat esse verbum, „ut sit in eo post et limen."

Hac quoque re a graeco etymologico discrepat, quod non amplius omnes litterae adeo diligenter respiciuntur neque singulae litterae eundi, fluendi notionem excitare putantur. Totus etymorum tenor ieiunior atque planior evasit.

Ceterum vitia eadem hic non minus cernuntur. Ex certis declinationis formis multa explicantur neque eius rei causa apparet: *assiduus* dubio procul cum *dandi* verbo

coniungitur propter veterem optativum: *duim* (quem Aelius nimirum per antiquitatis studium noverat, cf. etiam *duitor* in * fr. 68). Contra etiam certae vocabuli formae respiciuntur, cum reliquae omnes hanc rationem repudient: e.g. *volpes*, *lepus*(*-oris*) a *pede* derivantur.

Quod ad res semasiologicas attinet, idem spectaculum ostenditur: nomina induntur propter rem, quae rebus nominandis non magis quam aliis propria est (e.g. *terra* fr. 39) aut quam nomen non totam exprimit (e.g. fr. * 72 = Varro L.L. V 22: „poetae appellarunt summa terrae quae sola teri possunt, sola terrae"). Haec prorsus eadem mihi videtur esse ratio, qua Plato et Stoici unum ῥῆμα in duo nomina dirimunt (supra p. 27) [1]).

Mutuatio. Iam Aelio mos fuit, vocabula quaedam ad linguas externas dumtaxat reicere neque amplius inquirere, quae in alia illa lingua eorum origo esset. Prorsus idem spectaculum Varro praebet, unde menda gravissima interdum emanant, cf. L.L. V 34 de *agro*. Haec parumper cum Philoxeni doctrina de linguis externis componamus. Qui quantopere in hac re fuerit largior necnon vere doctior statim videbimus. Ut saepe, hic quoque elucet, nullum populum historiae cursum maturare valere. Romani quoque in artibus et disciplinis lampade a Graecis accepta nihilominus veri Romani permanserunt, suo contenti, aliquantulum angusti, necdum a se ad universos populos oculorum conspectum promoventes: quae comparatio in multis rebus lumen menti humanae una accendere potest. Quid quod Romanorum orbis terrarum imperium, ut Graecorum intellegentiam magis magisque quasi cote acuebat, ita Romanos ipsos omnia sua iam arbitrantes maxime hactenus reddidit caecos, ut eos populorum subiectorum mores, linguam, naturam pro occasione oblata plerumque ita male novisse, saepe demiremur [2]).

---

[1]) In etymo: *miles* < *mollis* probabili coniectura militia: mollitia tamquam cardo quaestionis fuit, in quo notiones duae miscerentur.

[2]) Quare in fr. 64 (Fest. p. 162a, 12) hunc ordinem mirum invenimus: Lanuvini, Graeci, Praenestini? Eumne (Festum, aut Aelium?)

De contrario. De figura κατ' ἀντίφρασιν pauca satis sunto. Quo nomine eam Aelius appellarit, non constat („contrario nomine" fr. 7, ubi tamen textus hauddum certus est, cf. editio Goetzii et Schoellii; κατὰ ἀντίφρασιν fr. 15; „ex contrario" fr. * 71). Indolem eius non meliorem neque peiorem existimamus quam fuit apud Aristarcheos, h.e. prorsus inepta sunt exempla allata neque ulla eius rationis excusatio usquam in ipsa re posita est. Hic igitur longam iam superiorum ei fuisse seriem credamus necesse esse videtur.

De derivatione. Ipsa enumeratio supra scripta clare iam ostendit, non iam compositionem semper et ubique valere, sed contra id primum obtinere locum, quod derivationis nomine dignari recusaremus, si melior succurreret appellatio. Nihil enim per eam fit, nisi ut prima pars nominis ad aliud vocabulum revocetur. Suffixorum namque doctrina aut prorsus nulla est aut ex usu cottidiano nata, eique tantummodo serviens [1]).

Num haec ita comparata fuissent, si Aelius rationes recentiorum grammaticorum graecorum cognitas habuisset? Immo melius, opinor, talia observasset. Itaque etiam hinc suspicari licet, Philoxenum post Aelium, hominem, ut Cicero dicit, eruditissimum Graecis litteris et Latinis, vixisse.

Utut haec sunt, fragmenta servata exempla paulo plura derivationis quam compositionis exhibent. Quam differentiam ut aliquantum augere velim moveor hac consideratione, compositionis potissimum Aeliana exempla posteris, qui hanc rationem repudiarent, visa esse ingeniosa, mira, ludicra, certe n o t a t u d i g n a, cum derivatio nihil inauditi neque inusitati iis ostenderet [2]).

De rebus phoneticis. Mentz (p. 14 sqq.), Lerschii vestigia legens (cf. III 96—105 et 175—178), mutationes apud

fugit, Praenestinos Romanis esse propiores quam Graecos? Hoc affirmare non ausim.

[1]) Ne hoc quidem indicat ab anomaliae parte eum stetisse, siquidem Varro, dubio procul analogiae defensor, in hac re haud melius profecit.

[2]) Hoc quam verum sit, Gellius permultis locis ostendit. Cf. etiam Quint. I 6, 37 sq.

Aelium obvias in tres classes divisit q.s.: I m u t a t i o: correptio, duplicatio, diphthongorum dissolutio, extensio, crasis. II e l i s i o, III a s s u m p t i o. Quartae classis, sc. transpositionis neque Lersch (III 178) neque Mentz exemplum invenit. Quae ibi dicta sunt, recoquere nolo.

Haec tamen velim sic accipias, tamquam earum rerum exempla apud Aelium exstent, ipse vero nondum classes ita distinctas noverit atque agnoverit. Ita, credo, res comparata est, ut hoc solum perhibere possimus, tales discrepantias non prohibuisse, quominus eius ingenium divinandi rationem iniret et comprobaret. Varro quidem eorum generum conscius fuit, cf. L.L. V 6, sed talia haud scio an ad Graecorum de pathologia studia referenda sint, quae tempore demum Philoxeni et Tryphonis florere coeperunt (v. infra de Varrone C. II, III).

Aelius Stilo in his rebus admodum fuit moderatus, dummodo initium verbi solum in iudicium vocetur, ut par est. Quam indolem [1]), quamvis videatur paradoxon, tamen sic mihi explico, ut cum nondum istis regulis niteretur neque iis, ut fit, abuteretur (nam haec atque talia quantopere ex ipsa lingua deducta sint neque linguae modum excedere debeant, cito obliviscimur), simul propter ingenium ieiunum omniaque immania repellens talem eum evassisse credam.

Quod maxime elucet in m u t a t i o n e, cuius tabula ostendit: e > i (fr. 6), e > ae (7), l > d (9), e > u (12), o > i et ll > l (15), a > o (? 20), ε > o (21,) b > p (23), d > l (? 22), iu > u, a > i, d > t (? 24), κε > au (28), v > u et e > i (29), e > i (32), g > v (33), r > rr (39), rr > r (42), g > c (45), ou > ū (*59), ii > ī (*53), a > e et a > i (*65 et *73), ō > ŏ (*72), r > rr (*72), t > c (? *76).

---

1) Formae: *monestrum* (Fest. p. 138b, 18) *levipes* (Varro R.R. III, 12 6), *volipes* (Quint I 6, 33 quam Varro L.L. V 101 non exhibet), luculenter demonstrant, Aelium illum analogiae sensum, qui nobis omnibus innatus est, in etymologia adhibuisse. Quae res in Ioh. Mauropi etymologico haud minus saepe invenitur.

Consonantes vulgo melius tractantur quam vocales, id quod res ipsa fert. Sola mutatio, quae isti tempori satis arbitraria videtur, est g > v, quamquam ne hanc quidem hodierna grammatica comparativa gravatur. Iuxta quidem ponuntur d > l, l > d, et rr > r, r > rr, neque eius rei Aelius sibi rationem reddidisse videtur.

S y n c o p e n exhibent fragmenta: *e* (fr. 11), *vi* (12), *e* (17, ubi forma „monestrum" perquam est notabilis), *e* (33), *e* (42), *a* vel *i* (46, cf. Quint I 6, 33, qui formam hypotheticam exhibet: „volipes"), *a* (* 52), *is* (? * 58). Una „- *vi* -" elisio maior videtur, quae tamen formis verborum Perfecti ei satis superque probari potuit. Quae si comparaveris cum graeco nostro etymologico, in hac re certe palma Romano debetur.

Litterarum a s s u m p t i o valde rara est: fortasse in fr. 24 et * 53 (cf. apud Ioh. Maur. - δ - quoque vs. 88, 159). Quae res non minus Aelii acre iudicium ostendit: litterarum enim additio eiusmodi est, quae in linguae vita numquam occurrit exceptis paucis casibus iisque arcte definitis.

Figurae, cui nomen a p h a e r e s i s (v. supra p. 94), in fragmentis vestigium non exstat, c r a s i s haud scio an in fr. 24, m e t a t h e s i s in fr. 31 (?).

De rebus semasiologicis. In hac re Aelius nimirum saepe erravit, e.g. etymum pandere < panem dare, ubi ordine inverso a significatione composita ad simplicem, a concreta ad magis abstractam se vertit (cf. fr. 27 = Non. p. 44, M.). Vitium tamen nequaquam in neglegentia posita est, e.g. ubi *nebulonem* a „nebula" derivatum esse nimis accurate duabus viis nobis probare studet (fr. 24).

Etiam radicis primitivam quandam significationem aliquatenus perspexisse vel sensisse videtur: cf. f. 1, 14, * 60 [1]).

---

[1]) Quomodo Aelius significationis $\sqrt{}$ma = *bonus* assecutus est? Utrum etiamtunc in populi conscientia vivebat an a vocabulo „immanis" profectus est, cuius sensus eo tendebat? Cf. Walde *Et. W.* p. 367 et Varro L.L. VI 4.

Mentz denique (p. 13) omnes rationes dialectico-etymologicas, quas apud Augustinum obvias supra ad Stoicos rettulimus, in Aelio quoque reperire studuit (v. supra p. 55 sqq.). Ubi vereor, ne a scopo plane aberraverit, eadem de causa quam supra (p. 96) exposui. Itaque ne in hac quidem parte quicquam dubito, quin apud nostrum non minus quam semper et ubique etyma exstent, quae Augustini systemati se adaptari sinant; at vero eum his classibus usum esse in inquirendo, iisdemque ductum fuisse non adducor ut credam. Accedit, quod nonnulla ex Augustini exemplis indolem ab Aeliana prorsus diversam prae se ferre videntur. (Vide tamen App. II).

Conclusio.

In Aelio igitur doctrina etymologica a Graecis in Latium transmigravit. Is primus fuisse videtur qui rationibus etymologicis atque experientia Graecorum fretus aut omnem linguam latinam aut magnas eius partes in singulorum verborum originibus explanare molitus sit.

Varroni assentior, ubi dicit (Gell. I 18, 2) de Aelii erroribus: „in quo non modo Aelii ingenium non reprehendo, „sed industriam laudo: successus enim fortunae, experien„tiam laus sequitur." Namque haud spernendam molem, hercle, Aelius suscepit cum hoc munus aggressus est. Eodem modo, quo hodie principia tam etymologiae quam disciplinae quae per coniecturas scriptores emendare studet, non iam ita obvoluta esse putantur, ut successum recusare videantur, neque tamen eorum usus sine divinatione necnon sagacitate quicquam proficere potest, ita Aelio in difficultate maxima summum fuit meritum, quod illud inceptum perpetrasse videtur.

Iamque vidimus, qualis eius etymologia exstiterit. Nunc igitur quaeramus unde haec omnia hauserit.

Graecum etymologicum, de quo egimus, probabili coniec-

tura post Aelii aetatem collocandum esse pluribus locis monuimus [1]). Quod non impedit, quominus tale aliquid, minus fortasse perfectum, iam antea sc. Aelii temporibus ex Stoicorum officina provenire potuerit.

Attamen, fac aliud etymologicum fuisse, quod Aelius cognoverit; discrepantiam inter Platonis etymologiam et Iohannis Mauropi si observaveris, progressum tanto temporis spatio factum adeo exiguum esse videbis, ut opusculum illud, si umquam fuit, eadem fere etymologiae principia atque usum exhibere debuerit atque alter et posterior libellus re vera proposuit.

Sed in Aelii fragmentis pauca dumtaxat sunt, quae per indolem (*lepus*, *pituita*, *volpes*) vel per argumentum (*caelum*, *lepus*, *monstrum*, *volpes*) etymologici istius speciem prae se ferant; reliqua omnia res tractant ex historia, antiquitatibus, moribus denique Romanorum desumptas.

Quae cum ita sint, aut credendum est, Aelium graecum etymologicum exempli loco habuisse, id quod mihi probabile (v. supra) non videtur, aut ita iudicandum, Aelium non modo Romanorum, sed etiam Graecorum primum fuisse, qui suae linguae vocabulorum maxime usitatorum explicationem ordine ac ratione constantem umquam composuerit. Quod mihi non magis arridet: id quidem in historiae cursu inauditi aliquid esset, atque talis coniectura nisi firmissimis argumentis stabilita cum maxime est reicienda. Itaque quoniam utrumque respuendum puto, fatendum forsitan sit, Aelium Stilonem etymologicum eius certe modi numquam composuisse quale apud Graecos repperimus. Inde sic mihi rem fingo. Aelius stoicae imprimis etymologiae cognitionem abunde habebat, ut ea fretus ad suam linguam vernaculam quoque talia adhibere sustineret. Etyma pleraque in edendis vel annotandis scriptoribus dedit, quorum partem quin litteris mandarit dubitari non potest [2]); haud

---

1) Idem concludit etiam Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 81.

2) Cf. e.g. „scribit" apud Fest. p. 234 b 4, (fr. 30).

omnino negare velim, eum etiam opus composuisse, quo glossas explicaret veriloquis quoque immixtis, quale Mentz (v. supra) adumbravit. Quamquam hoc mihi nihil aliud esse videtur quam ultimum refugium, quo via alia nulla patente fragmenta dispersa ac multifaria recondamus.

Mihi quidem Aelius ante oculos obversatur vir potissimum romanae antiquitatis peritus, secundo demum loco grammaticus et rhetor stoicam philosophiam affectans.

Quomodo autem eius etymologia ad praesentem statum pervenisse videtur? Nimirum compositionem a Stoicis imprimis mutuatus est. Sed duae res huic explicationi repugnabant. Nempe linguae latinae indoles, nominum compositarum prae graeca pauperrima [1]), istam rationem minime commendabat neque, ut Graeci, epopoeiam habebant Romani compositionem sescenties populari cogitationi imprimentem atque unam maxime ei inhaerentem.

Inde paulatim eo deveniret necesse erat, ut compositionis loco derivationem praeferret, quae quoniam ne apud Graecos quidem certis regulis, legibus, principiis fundata erat, apud Aelium haud melior evasit. Sed ea maxime de causa ad veram linguae scientiam iam propius accessit. Quodsi quis ex eo quaesivisset, quidnam in „victima" vocabulo esset illud *-tima*, quid respondisset? Aut se ignorare aut eam partem ad rem nihil referre. Si illud est, ignorantiae eius confessionem excusabimus et laudabimus, sin minus, hic iam pater fuit illius derivationis tam laxae tamque stultae, quam Cicero supra egregie descripsit.

Fragmentorum copia affirmationem non suppeditat coniecturae, qua haud scio an suspicari liceat Aelium vitae initio compositionis rationi magis favisse, postea vero se dedidisse derivationi in lingua latina investigandae. Quod utique probabilius videtur quam ordo inversus. Hanc igitur rem integram iam relinquo.

---

[1]) Res insignis et semper nota: cf. e.g. poetarum audacia in *incurvicervicum pecus, repandirostrum pecus* apud Pacuvium.

Sic Aelius novam materiam aggrediens inde vel maxime impetravit, ut magis quam aequales inter Graecos liber maneret et in explicatione partim propriam suam rationem sequi posset.

Ex iis quae exposui iam manifestum erit quare G. Boissiero assentiri nullo modo possim, ubi dicit (*Etude sur la vie et les ouvrages de M. Ter. Varron*, 1862, p. 152 [1])) de Varrone eiusque aequalibus: „— on se piquait moins „d'arriver à l'origine réelle du mot que de le décomposer „d'une manière ingenieuse et qui en gravât le sens dans „la mémoire . . . . ; c'était plutôt une sorte de définition, une „manière de l'expliquer et d'en fixer le sens par quelque „circonstance extérieure ou par un rapprochement spirituel „avec d'autres mots, qui lui ressemblent", cf. Gell. XII 14, 7. Quod si verum esset, etiam unius vocabuli duplicem etymologiam facile excusare possemus. Istud tamen minime iustum videtur. Etenim illa derivatio infamis tam neglegens tamque socors si quicquam, aliud nihil efficere potuit quam ut verbi significationem obscuraret, non illustraret. Deinde huiusmodi explicatio legibus historiae non obtemperat. Nam licet unusquisque nostrum in talem etymologiae antiquae aestimationem nonnumquam inciderit, nihilomagis risu retineri nos oportet, ne illius saeculi homines seriis conatis magnaque industria non meliora excogitare potuisse credamus quam Aelius noster in fragmentis nobis offert.

[1]) De hoc opere cf. iudicium nimis severum Wilmannsi, *De M. Ter. Varr. libr. gramm.* p. 135, A. 1. Eandem Boissieri sententiam iam impugnavit Victor Henry, *De sermonis humani origine et natura M. Terentius Varro quid senserit* (v. infra), p. 19 A. 4.

CAPUT II.

De M. Terentio Varrone [1]).

A. Agitur de Varronis in rebus etymologicis fontibus.

Temporis invidia nobis Varronis etyma circiter 1400 reliquit dispersa in libris de Lingua Latina, in libris Rerum Rusticarum, denique in 461 fragmentis a Funaiolio (p. 179—371) collectis. Primum igitur nobis quaerendum est, quatenus Varro in etymologia alios secutus sit aut suo steterit iudicio, ita tamen ut inibi ipsorum veriloquiorum nondum habeamus rationem, ne vitioso ut dicitur quodam coerceamur circulo. Deinde inquirenda sunt etyma atque opiniones

---

1) Praeter Reitzensteini libros cf. imprimis A. Wilmanns, *De M. Terenti Varronis libris grammaticis* 1864; R. Kriegshammer, *De Varronis et Verrii fontibus quaestiones selectae* (diss. Ien.) Leipzig 1903; brevis disputatio in M. Schanz Rom. Litt. Gesch. I, 2 ³ p. 422—450 (1909). E dissertatione: V. Henry, *De sermonis humani origine et natura M. Ter. Varro quid senserit*, Lille 1883 (de qua cf. iudicium Goetzii v. cl. in Bursians Jahresberichte vol. 67 (1892), p. 122) haud multum profeci. Varronis vitam enarravit G. Boissier, *Etude sur la vie et les ouvrages de M. Ter. Varron* (1862).

[Nuperrime de his rebus G. Goetz, *Zur Würdigung der grammatischen Arbeiten Varros* (Abh. d. Sächs. Ges. d. Wiss. XXVII 67—89). Ad quam commentationem in sequentibus legentem uncis quadratis revocabo, quia schedis iam maximam partem emendatis in eam incidi. Ceterum vide Addenda].

in scriptis obviae, ut inde, quae et qua de causa tam in universis quam in singulis rebus fecerit, quam potest optime intellegamus.

Varro in libris de L.L. ex omnibus partibus linguae vernaculae etyma proposuit atque in quattuor classes divisit, q.s.: loci, corpora, tempora, actiones (= V 1—56, 57—184, VI 1—34, 35—96). In libro septimo denique poetica vocabula tractat. Ceterum ad Reitzensteini commentationem: *M. Terentius Varro etc.* legentem revoco, ubi magna sagacitate de hac re disputatum esse videbit.

Iam vero nullum testimonium ad aetatem antevarronianam pertinens neque fragmentorum copia probare videtur, Varronem in hac re cuiusquam uti potuisse auxilio nisi forte unius Aeli Stilonis [1]). Certe nullius etymologicum ante Varronem cognitum est plus quam certam linguae partem tractans atque ipsi Aelio Stiloni (v. supra p. 102) eiusmodi inceptum tantum per coniecturam ascribitur.

Itaque ad tempus id nobis agendum est, ut quae ratio inter Aelium Stilonem et Varronem intercesserit inquiramus.

Sed enim haec res integra non iam est, de qua Reitzenstein laudabili subtilitate, deinde Kriegshammer eum secutus accurate admodum disputaverint. Praecipue libri V—VII L.L. de hac re in iudicium vocantur. Quae reliqui libri, libri R.R. et fragmenta, exhibent pauca etyma, prae maxima illorum copia haud magno damno praetereunda esse videntur: in illis libris cardo quaestionis positus est.

Ex duabus istis commentationibus summam memorare mihi liceat.

Reitzenstein (l.l. p. 31—43) demonstrare conatur, in *ll. V et VI* Varroni fontem fuisse etymologicum quoddam rerum ordine compositum, cuius auctor fuerit Aelius

---

[1]) De fontibus minoribus hoc loco sermo non est.

Stilo. Quamquam non diserte id pronuntiavit (cf. p. 30), tamen hoc Aelii etymologicum cum graeco illo quandam habuisse affinitatem suspicari videtur. Nempe haec eius argumentatio est: tria priora genera, q.s. loci, res, tempora, Varro ex fonte facile secernere potuit; quartum minus ei satisfaciebat (p. 43). Quocirca [1]) hanc partem supplevit argumento ex grammatici cuiusdam tractatu petito, quem coll. L.L. VI 36 dubitanter Cosconio tribuit. Fuerunt libri VI §§ 35—40, 44, 45, 50, 69—74, 76, 79, 86—95, 96 [2]).

Ipsi Varroni in his libris nihil ultra tribuitur quam V 92—94 (p. 39 A. 2) et VI 88, 90—92, et fortasse 93.

Liber VII (cf. p. 31 et 33) eodem fundamento utitur, quo superiores libri, ita tamen, ut hic de verbis poeticis agatur, utque glossae ex singulis poetis excerptae secundo loco materiam ei suppeditaverint. Varronem fontem suum locis compluribus parum scite in libros V—VI et VII divisisse, Reitzenstein exemplis illustrare conatur.

Liber VIII 1—34 Reitzensteinio auctore non minus quam Augustini libellus: *Principia dialecticae* ex lib. I de L.L. fonte derivantur (p. 65 sqq.). Illa pars introductionis vice in exordio librorum de declinatione agentium posita est. Quae supersunt (§ 26 usque ad finem), sumpta esse videntur ex versione tractatus graeci a Romano quodam facta, quem Aelium Stilonem fuisse suspicatur (p. 44 sqq.).

Libri IX fons est liber latinus analogiam defendens et tamen a Stoico vel potius a grammatico stoica doctrina imbuto contra Cratetem compositus. Qui quoniam minime contra fontem libri VIII nititur, Varro locis compluribus quaedam inseruit, quibus huius libri argumentationes refelleret (p. 55 sqq.).

---

1) Fuitne L.L. VI 96, qui locus a reliqui libri indole longius recedit, fortasse Hypsicratis aut Philoxeni ipsius?

2) Cur Varro ita egerit, Reitzenstein non satis explicat (cf. p. 43 cum p. 38). Namque quod Stoici verba secundo demum loco tractabant, nondum causa est, propter quam strictim tantum neque satis accurate ea memoraverint.

Liber X nullo intercedente ad graecum redit fontem qui quamvis analogiae partes sectetur, tamen ex Aristarcheorum mente non profluxit. Libri IX et X Varronis cogitata optime reddunt (p. 64 sq.).

Omnes has coniecturas disquisitioni subiecerunt Rohrscheidt l.l. [1]), Goetz l.l., Wessner l.l. et Funaioli (p. 186—188). Universi de libri VIII duabus partibus deque L.L. I argumentationem Reitzensteini non sustinent; quae vero de ll. V—VII (i.e. de libris etymologicis) dixit, probare videntur.

Kriegshammer inquisivit, quae ratio inter Aelium Stilonem, Varronem, Verrium intercessisset. Accurata argumentatione usus ostendit, Verrium Flaccum Varronis libros de L.L. numquam adhibuisse. Permulta etyma similia apud Varronem de L.L. et Verrium obvia (cf. ib. p. 124—126) coniectura excusat, èt Varronem in L.L. (et partim in R.R.) èt Verrium hausisse tam ex Varronis scriptis superioribus quam ex Aelio Stilone.

Itaque partes singulas sic divisit:

Liber V (= cap. V, p. 100–116): 14—18 (de locis, ex Aelio, p. 102), 29—30 (ex Varronis Rerum Humanarum ll. de locis? p. 91), 31—33 (indidem), 34—40 (de locis rusticis ex Aelio Stilone probabiliter, p. 106), 41—56 (ex Varron. Rer. Hum., de locis), 57—74 (eiusd. Rer. Divin. de deis), 75–79 (de animalibus ex Aelio Stilone, p. 106), 80—82 (quas Kr. huc non refert, cf. p. 104; fortasse ex Varron. Rer. Hum. de hominibus?), 83—86 (Rer. Divin. de hominibus; at cf. p. 88 ubi *Salii* (V 85) Rer. Human. libro II tribuit), 87–91 (Rer. Human. de rebus), 92—94 (ab ipso Varrone inserta, ut Reitzenstein suspicatus est, p. 115), 95—99 (de pecore ex Ael. Stil. p. 106 sqq.), 100—101 (de feris, ex Ael. Stil.), 102—104 (de herbis, ex Ael. Stil.), 105—112, 113—114 (ex Varronis de Vita Pop. Rom.?, cf.

---

1) Supra p. 78, A. 1. [et p. 115 A. 1].

p. 111 et 122), 115—117 (Rer. Hum. de rebus), 118—127 (de Vita Pop. Rom.? v. supra), 128 (quam Kr. non memoravit; de Vita Pop. Rom.?), 129—133 (de Vita Pop. Rom.? v. s.), 134—140 (de instrumentis rusticis ex Ael. Stil.), 141—165 (de Vita Pop. Rom.? v. s.), 166—186 (indid.?) 169—174 (Rer. Hum. de rebus), 175—183 (de quibus Kr. dubitat, p. 115).

Notandum videtur, Kriegshammerum p. 101 L.L. V 146—159 et 163—165 Varronis Rer. Human. de locis tribuere. Num §§ 141—165 sine ulla haesitatione ex Varronis de Vita Pop. Rom. derivet, p. 115 non satis apparet, quod quin ipse „incredibili fere negligentia" factum esse fateatur, ut alii p. 101 ipse exprobrat, non dubito.

Liber VI: 3—11 (de temporibus ex Ael. Stilone), 12—26 (Rer. Divin. de tempor.), 27—34 (Rer. Hum. de tempor.), 35—96 (p. 115 Reitzensteini divisioni (v.s.) assentitur). Mirum sane est in hac parte earum tantummodo §§ veriloquia apud Verrium quoque exstare, quae ab utroque Aelio Stiloni tribuuntur.

Liber VII: ad eundem fere eventum pervenit, quo Reitzenstein: Varronem sc. huic libro iuxta Aelium Stilonem et Aurelium Opillum, quibus etiam Verrius Flaccus usus est, glossatores varios tractantes poetas adhibuisse.

Pauca, hercle, perpauca Varro noster in ll. de L.L. propria sua ostentare potest! In l. V praecipue magna videtur esse dissensio inter Reitzensteinium et Kriegshammerum. Ille unum Aelium Stilonem fontem fuisse contendit, hic quinque distinguit: *a.* ex Varronis Antiquitatibus, consummatis a. 56 (Norden) aut 47 a. C. (Usener), *b.* ex Varronis de Vita Populi Romani (dubitanter p. 122), *c.* ex Aelii Stilonis de locis et temporibus (= imaginario illo glossario etymologico), *d.* ex eiusdem de rebus rusticis (eodem?) libro, *e.* a Varrone ipso addita (V 92—94).

Quaerenti unde Varro etyma ista in Antiquitatibus et

fortasse in ll. de Vita Pop. Rom. sumpserit, Kriegshammer diserte non respondet. [1]) Qui si ea quoque ex Aelii Stilonis libro manasse putaverit, idem profecto sentit atque Reitzenstein; attamen mihi quidem nulla causa succurrit, quare Varronem tam mirum in modum ex pluribus fontibus hausisse credamus, cum nihilominus, immo multo facilius unus sufficeret.

Nunciam videamus quid inde sequatur, quid non. Meo quidem iudicio Reitzenstein eo pervenit, ut clare ostenderet, l. VIII et IX ex diversis fontibus derivatos esse, quos Varro ita adhibuisset, ut de suo paulum vel nihil adderet. Quod in ll. V—VII non esse obliviscendum puto: quippe cum nobis ostendat, etiam in his libris prioribus Varronem ex uno tantum fonte haurire potuisse. Kriegshammer porro demonstravit (p. 105), Varronem etyma in R.R. (a. 36 a. C.) obvia non ex L.L. sumpsisse, sed contra in utroque libro ad unum eundemque fontem ea redire; probabilem reddidit coniecturam (p. 106), Verrium in glossis rusticis non Varronis libros de R.R. adhibuisse; comprobavit (p. 108), eundem ne libros de L.L. quidem ibi excerpsisse; unde denique conclusit, cunctos Varronis ll. de L.L., de R.R. et Verrium Flaccum in hac re ex uno fonte fluxisse, sc. ex Aelii Stilonis etymologico. Huius eventus rationem nos habere oportet. Ut Aelii Stilonis partem in L.L. sex illis veriloquiis, quae nomine laudato ei imputantur, contineri putemus, amplius iam fieri non potest. Attamen hoc ingenue fatendum est, in accurata Kriegshammeri disquisitione (p. 107) semper fere perexiguam etymorum partem apud Varronem exstantium similibus vel cognatis Verri etymis respondere: e.g. Varro L.L. V 75, 76 etyma exhibet 21, ex quibus 8 dumtaxat apud Verrium redeunt. Quod licet argumentationis fidei aliquantulum deroget, moneo tamen e.g. colla-

[[1]) Cf. etiam Goetz l.l. (v. supra p. 115) p. 79 (15) de Antiquitatibus: „auch dort war Aelius Stilo benutzt worden" et p. 87 (23)].

tionem Varronis L.L. V 76 (de *gragulis* et *gregatim*) cum Verrio (Paul. 97, 17 M.) aperte ostendere, re vera hic quoddam originis vinculum latere [1].

Qualem igitur rationem inter Aelium Stilonem et Varronem intercessisse suspicemur? Quattuor sunt, ni fallor, quae hanc quaestionem solvere possint:

a. in L.L. V—VI (et VII?) omnia sunt Aeli, Varro nihil nisi perpauca addidit eaque parvi momenti.

b. Aelii praeter sex etyma Aeliana solae glossae rusticae sunt de quibus egimus.

c. tam Aelio quam Varroni magnae partes *totae* ascribendae sunt.

d. multa insunt Aelii, multa Varronis, ita tamen ut in singulis partibus utriusque generis etyma saepe intermixta sint.

Hoc loco circulo vitioso qui dicitur inclusi sumus: nempe omnium optima norma discernendi inter etyma Aeliana atque Varroniana dubio procul in ipsis illis veriloquiis posita est. Atqui de Aeli etymologia minora comperta habemus, quam quae in singulis explicationibus Aelio aut Varroni adiudicandis nos ducere valeant. De hac differentia ita demum in spem certiorem adducemur, si nobis contigerit, in L.L. partes Aelianas a Varronianis certo limite secernere. Ecce nos ad carceres a calce revocatos!

Accedit quod parvis magnisve L.L. inconcinnitatibus haud nimium confidere nobis licet, reputantibus quantopere Varro semper laboriosius undique materiam congesserit quam ex ea unum sibique constans melius construere valeret aedificium.

Iam vero statum sub *a* positum Reitzenstein, ut dixi, summo ingenii acumine defendit. Eius expositio de L.L. VI 3 et 7 coll. cum VII 72 et V 16 cum VII 6 refutationem plane abnegat nec non in ceteris quoque partibus

---

[1]) Apud Varronem verba: „ut quidam — γέργερα" nihil omnino ad hanc rem faciunt, Varionemque fontem excerpsisse neque intellexisse, manifesto arguunt.

ita esse suspicari quis vetat? Attamen in rem mihi esse videtur ut alium exitum comprobare coner.

Quamquam enim antiquos de cuiusque dominio tam in litteris quam in scientiae inventis aliter atque nos hodie cogitasse non est quod moneam, hic tamen modum paululum excedere videtur, si quis credat, Varronem Aeli magistri quadraginta modo annis maioris etymologicum totum in suam rem convertere potuisse pusillis additamentis exceptis, ita ut res neque tunc temporis plurimorum oribus pervulgaretur neque vestigium eius rei vel tenuissimum aut nuntius quidam ad nostras aures perveniret.

Hic iam necessitate coacti suspicari possumus, haec omnia ad Aelii librum quendam pertinere aut nondum editum aut ante editionem interceptum (cf. Suet. de gramm. 3 de tali casu) aut qui eiusdem generis fuerit atque Aelii „de proloquiis" liber, quem Aelium sibi conscripsisse „sui „magis admonendi quam aliorum docendi gratia" [1]) Gellius XVI 8, 2 narrat. Verum ambitus talis etymologici atque eius natura hanc coniecturam parum commendant. Praeterea quomodo Verrius ex illo fonte hausisset, si non publici iuris esset factus?

Aelius nominatim laudatur: V 18, 21, 25, 66, VI 7 et alia de causa VI 59 [2]) et VII 2. Hos locos si attente legis ac relegis, tres priores Reitzensteini coniecturam si non commendare, attamen haud magis impugnare videntur. At, quaeso, legas V 66, VI 7 et praesertim 101, tecum reputans, Varronem ea scripsisse, cum uno tenore semper et ubique Aelii scientiam tamquam suam proponeret. Tale aliquid in animum inducere, ut opinor, summo iure gravaberis. Nihilominus omnes hi loci praeter V 66 in iis partibus inveniuntur, quas etiam Kriegshammer Aelio tribuit [3]). Insuper „dicebat" (V 66) non tam propter

[1]) Cf. Cic. Brut. 205 et 207.

[[2]) De hoc loco Goetz nuperrime haud aliter iudicat l.l. (v. supra p. 115) p. 82 (18) A.].

[3]) Neque magis vocabulum mirum vel mira explicatio causa esse

ipsum verbum (cf. Reitzenstein, *Hermes* XXXV p. 611) quam ob tempus Imperfectum illi opinioni potius refragari videtur [1]).

Apud me quidem etiam consideratio generalis hic nonnihil valet. Neque enim, si etymorum corpus in L.L. V et VI reconditum Aeli proprium est, quomodo Aelius Stilo ex superiorum doctrinis suum etymologiae systema sibi finxerit, amplius intellegere possumus. Namque indolis discrepantia Stoicorum etymologiae atque Aeli, qui inde praecipue haurire debuit quemque ita fecisse stoicae compositionis exempla argute testantur, ita adeo dilatatur, ut eius rationem e stoica non iam derivare possimus. Hoc dico: si ex illo quem usque ad hunc diem Varronem nominare solemus, revera Aelius exsisteret, de eo idem confiteremur necesse esset, quod Reitzenstein (p. 36) de Varrone pronuntiat sc. quod „in der Etymologie nicht Stoischen Grundsätzen folgt." Quo facto unde Aelii doctrina venerit explicare non possumus, quippe quae cum praecedentibus arctum vinculum non habeat.

Porro pauca ea, quae de Aelii studiis certa comperisse videmur, sc. ratio in rebus phoneticis accuratissima, praeponderatio compositionis, figura κατὰ ἀντίφρασιν, in hoc etymologico pseudo-Aeliano nullo modo redeunt. Quin etiam ita doctrinae formam Aelio imputare cogimur parum concinnam, parum aequam sibive constantem, rebus refertam sibi repugnantibus, ne multa, eiusmodi rationem, quae historice sic intellegenda esse videtur, ut eam non primam sed secundam apud Romanos fuisse putemus atque Stoicorum compositionis intemperantiam tamquam modum

---

potuit, cur Aelius ibi nomine laudaretur, cf. VI 7 ubi vox „intempesta" inusitati habet nihil. Neque id quod nunc „*Aelius scribit*" nunc „*dicebat*" legitur, divisioni in partes „Aelianas" et „non-Aelianas" respondet.

[1]) Quare Varro veriloquium *lepus* = „levipes" memoret in „rebus divinis" (cf. Gell. I 18, 2), libris de L.L. tempore superioribus, et in R.R. III 12, 6 eisdem posterioribus, sed L.L. V 101 praetereat, mihi nondum explicavi.

excedentem corrigere conantem haec duo elementa insciam in se recepisse atque usque ad hunc diem servasse.

Quod vero secundo loco posuimus, sc. ut totum fere etymorum corpus Varroni tribuamus, id non minus magnas parit difficultates. Equidem non ita multum hac consideratione moveor, nos sic facientes Varroni rationem etymologiae permittere, quae evidenter plura elementa in se receperit: nam Varronis indolem atque scribendi morem reputantes, quo argumenti iniquitates docte et laboriose elimare parum valuerit, talem rei statum etiam in Varronis proprio libro exspectare possumus. Ad hoc natura ipsa ita fert, opinor, ut ab eo potius, qui primus veteres rationes ad novam argumentum adhibeat, qualis hic Aelius Stilo fuit, quam ab iis qui illum secuti sunt postulare debeamus, ut eius opus sibi constet unamque prodat mentem. Verum maiore vi urgemur, ut talem divisionem recusemus, simulac Reitzensteini expositionem (p. 31—37) eumque secutum Kriegshammerum claro modo demonstrasse censemus, partes Stoico-Aelianas numquam finibus terminari adeo angustis.

Accedit quod locis compluribus saepe tenuiora exstant vestigia, quae fontem graecum et stoicum in hoc opus manasse indicant [1]).

Quae cum ita sint, in libris de L.L. duas certe partes, unam Aelii alteram Varronis, agnoscendas esse puto.

Proinde tertiam divisionem (sub *c*) experiamur, in qua ratio quam Kriegshammer commendat statim menti obversatur.

Ex fragmentis autem Aelianis et ex libris de L.L. compertum nobis habemus, inter hos duos discrepantiam exstitisse satis latam, non minus in toto mentis statu quam in ety-

---

[1]) Pauca cito: cf. L.L. VI 50: „laetari — diffusum" cum stoica doctrina apud Senecam (de vita beata c. 4), de quo loco P. Barth *die Stoa*[1], p. 90 A. 1 annotat: „die διάχυσις heisst bei Seneca diffusio animi = gaudium", unde subito mirum Varronis veriloquium intellegitur, v. infra B IV i.f. Porro e.g. L.L. VII 14, ubi fons graeco-latinus latinum „per" et graecum „περί" aequat; V 12,16 ubi equidem semper ita moveor tamquam Varro eiusve fons graecum καὶ ταῦτα ad verbum latine „et ea" verterit.

mologiae doctrina eiusque descriptione. In Varrone quidem, quem fontes diversos in unum argumentum conflare non nisi male valuisse multi ante Reitzensteinium ostenderunt, exspectare licet, huius divisionis, si re vera fuerit, etiamnunc manifesta deprehendi posse vestigia. Quod si secus cadit, indicium esse puto, divisionem paulo aliter esse faciendam [1]).

1. Reitzensteini iudicio Aelius in etymologico „Belegstellen" ex poetis desumpta proponebat (cf. Varro de hac re L.L. VII 2). Atqui in L.L. est ubi hi loci laudati occurrant, est ubi desint, sed ista differentia Kriegshammeri divisionem minime sequitur: e.g. desunt §§ 34—40, 75—79, sunt §§ 41—44, 57 sqq., 80. Insuper V 25 locus ex Afranio sumptus Varronis explicationem tam genere quam forma vocabuli contra Aelium defendere videtur.

2. Gellius (I 18, 2) nobis narrat, Varronem Aelio obiecisse, quod nimis multa verba, quae graecam explicationem poscerent, linguae latinae auxilio enodasset. At tamen Aeli explicationes: *novalis*, *Dius Fidius* et *pescia* (quod, satis inusitatum, etymum per „pisces" suadebat) ostendunt, graecae explicationi eum valde propitium fuisse, id quod in homine qui primus a Graecis doctrinas mutuatus est facile intellegitur. Atqui etyma graeca in „utraque parte Kriegshammeriana" occurrunt: cf. V 75—79, 102—104: V 105, 106, 118, 120, VI 96.

3. Formae, quibus veriloquia enuntiantur („ab", „quod", „cum", „qui"), in utraque parte inveniuntur: e.g. V 75 sqq.: 80 sqq., quod tamen per se non multum valet.

4. Introductionis vel epilogi verba („dicam" aut „dicemus", „dixi" aut „diximus") hic illic fortuita sunt, ita ut ex plurali numero nihil omnino concludere possis.

5. In „parte Aeliana" V 34—40 *novalis* explicatio exstat (§ 39) alia atque in Aelii frg. 21 (cf. L.L. VI 59) inve-

[1]) Aelio igitur tribuit Kriegshammer: V 14—28, 34—40, 75—79, 95—99, 100—101, 102—104, 134—140; VI 3—11, et cum Reitzensteinio 41—43, 46—49, 51—68, 75, 77, 78, 80—85.

nimus. Ibidem (§ 25) vocabuli *puticuli* aliam (suam ?) explicationi Aelii Varro anteponit, quod rursus invenies VI 4, ubi alterum veriloquium Aelii est, cf. eius fr. 1.

6. Fortasse aliquis dixerit, locos quibus mutationes phoneticae maiore diligentia observantur, alterutri (Varroni ?) tribuendos esse. Atqui Kriegshammeri divisioni non auscultant, immo haud scio an saepius in partibus Aelianis adsint: cf. hinc V 21, 79, 96, 97, 101, 134, 138, VI 62, illinc V 64, 91, 116, VI 4 (quamquam in parte „Aeliana"), 95.

7. Tabula omnes continens, a quibus Varro etyma mutuatus est, Kriegshammeri coniecturae neque refragatur neque eam confirmat; quod minime videtur esse mirandum, quia videlicet in aetatis duorum virorum discrepantia adeo exigua Aelius — quod nos hodie sciamus — eorum quemque haud minus quam Varro consulere potuit.

8. Nomina locorum aut nihil omnino aut certe nihil praebent quod Kriegshammeri divisioni respondeat. Exempla pauca dabo. L.L. V 31 sermo est de Praeneste, cuius oppidi linguam fr. 40 et dub. 64 Aelius memorat, et de Aricia prope Lanuvium, Aelii patriam, sita: attamen haec exstant in parte „non-Aeliana".

Porro in L.L. V 162, ubi legitur: „nunc Lanuvi apud aedem Iunonis" eadem de causa Aelium latere suspiceris, sed sequens versus iam Cordubae nomen affert, ubi Varro, ni omnino fallor, memoriam temporis in Hispania acti aperit (cf. L.L. VII 87 de voce *bacca*. An etiam Quint. I 5, 57 de vocabulo *gurdus* [1]), Varro R.R. III 12, 5 i.f. et Gell. XV 30, 7?)

9. De linguae latinae origine aeolica iam Cato maior disputavit, qui historia, non linguae studio ductus id opinione auguratus est, cf. Lyd. de mag. pop. R. I 5. Romanorum Varro primus fuisse videtur, qui ea doctrina usus sit in vocabulis latinis enodandis, cf. eius fr. 295,

---

[1]) Varro ipse se fuisse dicit: Praenesti (cf. VI 4), Neapoli (? V 85), in Campania (V 137); cf. Amiternum et Reatinum (VI 5) apud Varronem „Reatinum", in parte, ut dixi, „Aeliana".

296, Quint. I 6, 31, Norden in commentatione saepius laudata (v. s. p. 101), et Funaioli ad fr. 296. Tale inventum a Graeco quodam Romae moranti excogitatum esse manifestum videtur; quocirca Tyrannionem [1] (± 66 – 25) eius creatorem hodie designant. Quae ratiocinatio si recta est, Aelius hac explicatione uti nondum potuit. Atqui eiusmodi etyma in libro V 25, 101, 102, i.e. in partibus „Aelianis" occurrunt. Cf. etiam R.R. III 12, 6.

10. Saepe etiam sabina lingua auxilio venire debet. Varronem autem in Sabinis natum eorum linguam bene nosse certissima res est. At nomina geographica *Amiternum*, *Interamna*, *Antemnae* (V 28 et VI 5) omnia inveniuntur in partibus „Aelianis". Quamquam L.L. V 66 (in parte „non-Aeliana") notitia morum atque linguae Sabinorum ipsis exemplis nominatim Aelio tribuitur. Ex reliquis exemplis tria tantum in Aeli partibus occurrunt: V 97, VI 5 et 57; cetera alibi V 68 (ubi alterum veriloquium secundo loco positum fortasse Aelii est: cf. eius fr. 39 et dub. 72), 73, 74, 107, 123, VI 13. Septimi libri locos, §§ 28, 29, 46, 77 (cf. VI 5), 159 hic praetermitto.

11. Unde et a quo orta sunt notabilia illa veriloquia ex Siculorum lingua petita? Si Varronem ipsum (R.R. III 12, 6) et Gellium (I 18, 1) comparaveris, huiusmodi etymorum auctorem Varronem fuisse suspiceris. In his locis Varro loquitur de „vocabulis anticis graecis", quae ex litteris graecis didicerit, cf. etiam L.L. V 123: „apud antiquos „scriptores graecos inveni appellari poculi genus δεπέσταν." Haud certissimum est sed ex R.R. l.l. veri simile, ipsum Varronem tales explicationes instituisse. Quarum rerum fons ubi quaerendus est? Siciliam eo tempore Romanis optime notam fuisse, non est quod moneam (cf. L.L. VII 86). At verba „antiqua" nimirum aliunde petita sunt. A vero non longius aberrabimus, si Epicharmi (cf. L.L. V 59, 68

---

[1]) Cf. e.g. W. Kroll, Gesch. d. klass. Phil. (Göschen 367) p. 45 sq.

et Enni poema) atque Sophronis (cf. V 179! [1])) opera vel commentarios in ea compositos hic latere credemus. Vocabula autem ipsa eiusmodi sunt, ut a comoediae natura nihil abhorreant. Loci laudati ceterique, ubi ista exstant veriloquia, sc. V 120 (N.B. „d i c u n t"), 173, 175, 179 omnes in partibus „non Aelianis" reperiuntur.

De vocabuli *leporis* etymo est cur haesitemus. Namque Varro in Antiquitatibus (ap. Gell. l.l.) id esse „vocabulum anticum graecum" pronuntiat, in R.R. l.l. addit nomen esse aeolicum, L.L. V 101 perhibet „Siculos quosdam „Graecos" ea appellatione uti (sed duobus his locis textus nondum ex omni parte sanus esse videtur). Quare utro me vertam, nescio.

12. Iam vero in ll. V et VI versus ex Ennio, Lucilio, Pacuvio, Plauto desumpti in utrisque partibus pariter occurrunt, Naevii dumtaxat in partibus inveniuntur „non-Aelianis". Quod quin fortuitum sit, nullus dubito [2]).

13. Multis locis plus una nominis explicatio apud Varronem proponitur, id quod dubio procul Aelio Stiloni non debetur. Eorum aliquot Lersch collegit (III 170—172), ceterum v. Appendicem I. Haec igitur Varroni imputanda sunt, ita tamen ut semper fere (exceptis locis nonnullis, e.g. V 39, 95, 134; VI 47; VII 52, ubi in hac re graeco nostro etymologico socordia aequari videtur) ex pluribus optionem legentibus permittat.

Sed quid identidem Varro ipse putavit, quo loco suam ponebat sententiam? Si Macrobio credimus, secundo; qui Sat. III 4, 2 dicit: „his a Varrone praescriptis intellegere

---

[1]) Haud scio an monendum sit, Sophronis notitiam etiam in Philoxeno deprehendi, de qua re Reitzenstein *Geschichte d. gr. Etym.* p. 382 A. 3 annotat: „die Erwähnung Sophrons ist natürlich in einem „Werk, welches alle Dialekte berücksichtigen sollte." Cf. eadem sententia apud Thumb *Handbuch d. Gr. Dial.* p. 153.

[2]) Myrmecidum opus in l.l. VII (1) et IX (108) memoratur, qui loci si Reitzensteinio credimus ex diversis fontibus sumpti sunt.

„possumus id potissimum ab eo probatum, quod ex sua „consuetudine in ultimo posuit e.q.s." [1]).

In §§ 95 et 96 libri V, quae comparationem exigunt cum eiusdem libri §§ 75—79 – utraeque sunt „Aelianae" – cumque Iohannis Mauropi de ζῴοις ἀλόγοις disputatione, graeca etyma primo loco posita Varroni tribuenda esse videntur (cf. etiam V 120, 132), altera, quae onomatopoeiae figura utuntur aut e.g. *vitulus* < „vegitulus" (cf. Aeli fr. 45 ?) forsitan Aeli sint. Verum alibi graeca etyma secundum locum obtinent, quo accedit quod (V 138) explicatio *trapetae* a „terendo" prius proposita Aeli etyma per terendi verbum statim in mentem revocat. Praeterea haud scio an Varro non semper primus haec vocabula ad graecam linguam rettulerit; cf. e.g. Pisonis fr. 3 (Varro R.R. II 1, 9) ex Hellenistarum grege, de quibus Lersch egit. Saepe, opinor, dubitavit, utram explicationem sequeretur. Ad summam, si Varro in hac re non certam rationem habuisse videtur, differentiae, quae praesto sunt, Kriegshammeri divisioni minime respondent.

14. Dicta, exempla, rationes Stoicorum prodentes mentem neque minus alia ex parte similia vel certe cognata in utrisque se ostendunt partibus. Exempla pauca dabo. L.L. V 37: „vitis a vino, id a vi e.q.s." Stoicorum cogitationibus optime respondent, cf. exempla in Augustini libello: *Principia dialecticae.* At ib. V 61: „Venus, vinctionis vis" omnino eiusdemmodi sunt; enimvero in „alia parte" sunt. L.L. V 37: *seminis* veriloquium Stoicos olet, cf. Etym. Magn. p. 655, 57, quocum *patris* explicatio, quam invenies V 65, mihi vel maxime comparari posse videtur, at in „alia parte"! L.L. V 57 sqq. Stoicorum mente imbuta sunt, sed ibidem (§ 59) ordo: anima—corpus huic origini contrarius est. L.L. V 75—79 vere stoicam prae se fert speciem, ut videbimus: compositionum copia, onomatopoeia, fabula de Progne, magna in rebus phoneticis cura,

[1]) Ut L.L. V 25 (cf. annot crit.) πύταμος (?) et πύτεος a potu derivetur, fieri non potest, utpote quod omnibus apud Varronem exstantibus rebus sit contrarium. Nonne legendum est: πότῳ, cf. V 122 et VI 84?

denique disputatio (§ 79) de vocabulo *februm* Aelium (cf. frg. 1) in animum revocant. Similiter V 94 et VI 66 de *legulis* cognata esse luculenter apparet quamvis „diversis in partibus" exstent. Usurpatio vocabuli „declinationis" loco derivationis Stoicis maxime propria [1]) est, e.g. V 167 et VI 62 (cf. VII 26) in „diversis partibus". Etiam commentationes, quamquam divisione separatae, de „cavum : coum" (V 20 et 135) eandem mentem aperiunt.

15. Haud scio an non temere observaverim locis nonnullis priorem ordinem alphabeticum [2]) per praesentem statum perturbatum adhuc perspici posse : cf. e.g. V 135 sqq. : *bura*, *cavum*, *iugum*, *irpices* (quod contra ordinem *rastelli* attulit), *falces* („lumariae" propter *falces*), *pilum* etc., *trapetes*, *vallum*. Alius ordo fortasse item deprehenditur, qui instrumenta quorum idem est usus coniungit, cf. V 136 : 137.

16. De etymis ipsis iam disserere ut ad huius rei disceptationem aliquantulum afferam, ab hoc loco alienum videtur. Duobus tamen exemplis, ubi ipsum Varronem audiamus loquentem, probare mihi liceat eum in hac re ita inconstantem fuisse, ut huic saltem rei ex eius veriloquiis fructus nihil exspectari possit. L.L. V 83 si etymologiam nominis *pontifex* consulueris, inde forsitan bonam spem concipias, Varronem fuisse eum qui in divinando vocabuli formam accurate respiceret. At, quaeso, nunciam L.L. V 43 nominis Aventini historiam evolvas. Spe plane deiectus fateberis, Varronem e contra formam vocabuli prorsus neglexisse atque unam significationem secutum esse, ut ea tantum fretus varia inde sive historiae sive antiquitatum elementa eliceret [3]).

---

[1]) Cf. e.g. Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 59.

[2]) Quod si rectum est, non video quomodo sit excusandum. Neque enim in hac parte „Aeliana" ordo alphabeticus ab Aelio derivari posse videtur (cf. Reitzenstein passim), et maiora sunt simulque huius partis quasi nucleus, ita ut ea Varronis addita repraesentare nequeant.

[3]) Accedit quod etyma per compositionem explicata (v. infra), ea quoque quae Stoicis digna sunt, saepius fere in partibus occurrunt „non-Aelianis."

At, quaerat quispiam, quid omnibus his animadversionibus iam profecimus?

Respondeo: id quod cum negativum sit, positivum evadere arbitror.

Wessner (cf. *Bursians Jahresber.* 1908, vol. 138—141, p. 85) cum de Kriegshammeri dissertatione iudicium ferret, iam animadvertit, ab eo quaestionem disceptatam non esse quatenus Verrii glossae non via directa sed per Varronis opera ad Aelium auctorem redirent. Idem re ipsa nos quoque quaesivimus ubi animadvertimus, Krieghammerum haud diserte dixisse utrum Varronis Antiquitates (et de Vita Populi Romani?) etiam totas aut partim ex Aelio derivatas esse censeret necne.

Si etiam Varronis Antiquitates totas ex Aeli etymologico illo, cuius umbram tantummodo saepe videmus, fluxisse credit, supra iam ex eo quaesivimus cur tandem Varro hic ex Aelio, illic ex suis hausisset Antiquitatibus, quae eundem repraesentarent Aelium. Etiamsi hac necessitate coactus conicias, Varronem in libris de L.L. ex Aelio hausisse, Verrium vero in iisdem partibus ex Varronis Antiquitatibus, vereor ut facile talis condicionis causam probabilem afferre possis.

Porro si Kriegshammer Varronis Antiquitates non ex Aelio derivatas esse censens, divisionem quam dedit severam atque strictam esse autumabit, ita ut unaquaeque pars ex eodem auctore fluxerit, difficultates supra 1—15 memoratae efficiunt, ut id accipere nequeam. Ad hoc valde molesta est quaestio, cur in rebus ad antiquitates pertinentibus Varro Aeli veriloquiis non usus sit, licet Aeli fragmenta evidenter declarent etiam huiusmodi vocabula eum saepe explicasse.

Quarta igitur ratio superest, sub *d* memorata (v. supra p. 121), sc. ut Aeliana et Varroniana in libris de L.L. etiam in diversis partibus variis modis semper aut certe plerumque penitus intermixta sint.

Iam vero aliunde quoque rem aggressi ad eundem

eventum pervenimus. Vidimus enim pauca [1]) tantum etyma Varroniana in variis partibus etiam apud Verrium redire. Quod nescio an indicium nobis sit. Verrii namque etyma rustica recta via [2]) ex Aelio sumpta sunt. Quidni hanc causam esse ponimus, cur non omnia Varronis etyma etiam apud Verrium inveniantur, scilicet quod Aelius plerumque eadem quidem tractaverit atque Varro, hic vero postea in L.L. multa addiderit? Idem pertinet ad Antiquitates, ni omnino fallor. Varro ibi copias Aelianas dilatavit, et Verrius ex iis libris multum mutuatus est. Posthac Varro in libris de L.L. eadem ex parte denuo tractans iterum pauca addidit, quae ea ipsa de causa apud Verrium deesse videntur. Si Varronem alia, alia Verrium fortasse ex Aeli libro desumpsisse dicas idque sic defendas, nonnumquam Verrium quoque etyma exhibere quae Varro haud proferat (cf. Kriegshammer p. 108), respondendum est, ni fallor, Verrium melius iam quam Varronem in certis vocabulorum partibus alios fontes consulere potuisse neque omnino esse veri simillimum Varronem, nedum Aeli copias augeret, multo magis quaedam tantum ex eius libro excerpsisse. Quod si fecisset oleum perdidisset, neque labor iste ei ullum fructum, quicquam novi ostendere potuerat.

Ipsa variarum partium inconstantia constans hac explicatione excusatur, immo poscitur, siquidem Varro is erat, qui laboriosius materiam undique congerere quam elimatius unum corpus ex ea componere valeret.

Iam vero si Kriegshammeri divisionem eo modo interpretamur, nihil omnino ei refragari neque id quod certo

---

[1]) E.g. L.L. V 34—40, quas glossas ex Aelio desumptas, et VI 27—34, quas ex Varronis Antiquitatibus mutuatas esse Kriegshammer censet, cum glossis apud Verrium obviis comparavi: illic inter 29 etyma 9 tantum (quorum 2 dubia sunt) apud Verrium occurrunt, hic eadem ratione 4 ex 7. Unum tamen exemplum sufficiat ad ostendendum, communem fontem hic aliquo modo latere: cf. etymum „arvum" Varro L.L. V 39, RR. I 29, 1 et Festus Pauli p. 25, 12 (M.).

[2]) Unde enim Verrius apud Varronem ante libros de L.L. compositos rustica etyma sumere potuit?

modo demonstravit labascere iam videtur. Itaque plura hic, pauciora illic elementa doctrinae Aelianae latere suspicor; forsitan nonnumquam in Aeli libro nihil omnino Varro invenerit, quod ad certum pertineret rerum genus, quibus locis nimirum totus suis viribus nititur; neque minus fuerit, ubi admodum pauca ad Aeli disputationem quae adderet haberet [1]).

Nunciam primum locos quosdam perlustremus, quibus Varronem ipsum de huiusmodi rebus deprehendamus loquentem; denique varias ineamus vias, quae ad noscenda necnon internoscenda Aeli Varronisque studia etymologica aliquid promittere videantur.

Varro [2]) in prooemio librorum, qui de etymologia agunt, nonnulla haud omnino spernenda exposuit. Cf. imprimis L.L. V 5 sq. et 10.

Ipsum audiamus, ubi dicit: „non, si non potuero indagare, „eo ero tardior, sed velocior ideo, si quiero, non mediocris „enim tenebrae in silva, ubi haec captanda, neque eo, „quo pervenire volumus, semitae tritae, neque non in „tramitibus quaedam obiecta, quae euntem retinere pos„sent." His verbis si adiunxeris (§ 8): „quod si summum „gradum non attigero, tamen secundum praeteribo, quod „non solum ad Aristophanis lucernam sed etiam ad Clean„this lucubravi", nullus dubito quin mihi assentiaris atque fieri potuisse pertinaciter neges, ut idem Varro qui in librorum de etymologia prooemio ista diceret, post in ipsis libris nihil aliud quam magistri sui nobilissimi etymologicum expilaret atque tamquam suum legentibus proponeret, cum nihil aut leviora tantum de suo addidisset [3]).

[[1]) Cf. Goetz l.l. (v. supra p. 115) p. 75 (11) et 79 (15)].

[2]) Hi loci sunt: V 5, 10, 19, 98, 123; VI 33, 60, 64, 95, 96 (cf. „putant"); VII 4, 34, 73 (cf. Reitzenstein l.l. p. 32), 79; R.R. I 49, 2. Quorum plerique Varronem de fontibus suis deque sua ratione inducunt loquentem.

[3]) Cf. L.L. VI 2: „— quae obruta vetustate u t p o t e r o eruere „conabor."

Neque minus diserte noster declarat, nonnumquam se in librum recepisse, quae alibi invenisset (§ 10): „quorum „partim * quo ita invenerim ita opiner scribam" [1]). „Invenire" apud Varronem semper dicitur, ubi aliquid ex fontibus desumere conatur, cf. e.g. V 123, VI 33, 95.

Nunciam diligentius partem eam quae a Reitzensteinio et Kriegshammero Aelio attribuitur, L.L. V 75-79, inspiciamus.

Supra iam dixi, cur mihi quoque haec pars multis rebus Aeli Stilonis rationi simillima esse videretur. Una autem res haud scio an huic coniecturae non levis sit momenti, quocirca eam paucis tangere velim. Locus enim id habet insigne, quod multa in eo exstant etyma, quae compositionis explicationem prae se ferant aut ad stoicam rationem animum revocent. Cf. *noctua* : *νυκτερίς*, *lusciniola* (< „luctuose canere": *ἀοιδὴν ἡδίων*, Ioh. Maur. vs. 359), *motacilla* (cf. etymum vocabuli *oscillum* apud Santram fr. 10, Fun. p. 387) [2]), *merula* (< „mer-vola"; Quint. I 6, 31 hanc compositionis explicationem novit), dubio procul *graguli* (< „greg-v[o]li"), *ficedulae* („fic-edulae") [3]).

Haec apud Varronem legentes ita movemur, tamquam talem compositionis normam aut non intellexerit aut non comprobaverit; attendas, quaeso, quomodo temere *ficedulae* et *miliariae* enodationes iuxta posuerit, quasi vero natura

---

[1]) Locus corruptus est. Goetz et Schoell dubitanter proponunt: „quae ita <ut> invenerim ita opiner", coll. Catone de agric. 144, 2. Aut: „partim quod ita invenerim, partim quod ita opiner"? cf. VII 103 et fr. 49. L. Spengeli emendatio non iustum praebet sensum.

Cf. etiam VII 10: „quod a d d i t" et „qui glossas scripserunt."

[2]) Primum igitur etymi auctorem hoc nomen ita interpretatum esse puto, ut bis idem in eo — firmandi causa? — positum crederet, *mota-cilla*. Idem fortasse habemus in VI 49 (cf. Reitzenstein p. 35): „quae a manendo ut manimoria potest esse dicta." (primitus ex: manere et morari?). An primus sapiens ille tale aliquid excogavit: memoratur, quod apud me moratur?

[3]) Idem odorari mihi videor e.g. V 135, ubi, ni fallor, Aelius *aratrum* explicavit tamquam *ara-terrium*. Cf. Isid. Or. XX 14, 2. De *ruitro* non locutus est, quare Varro quoque in hoc vocabulo aliam adhibuit rationem: „a ruendo". Haud scio an Aelius *vomer* enodaverit quasi: *vomi-(t)er(ra)*.

prorsus essent similes. Quibus omnibus adducor, ut huic loco dubio procul stoicum (Aelium) fontem subesse credam. Sane mirum est apud Varronem, quam saepe composita perquam perspicua accurate ab eo explicentur, stoica vero composita neglegantur sive praetereantur silentio; cf. illinc *aedificium* (V 141), *panificium* (V 105), *panuvellium* (V 114), hinc e.g. *caccabum* (V 127), *copis* (V 92), *crusta* (V 107), *cucumeres* (? V 103), *cura* (VI 46, cf. Reitzenstein l.l. p. 35), *Diana* (V 68 et Prob. in Verg. Ecl. VI 31), etiam *bigae* (VIII 55, coll. cum X 24), *bucinator* (VI 75, cf. Paul. Fest. 32, 9).

Quae cum ita sint, non vereor ne longius a vero aberremus, si priores tres locos, inter se admodum similes, Varronis mentem atque opinionem de vera compositionis forma reddere statuimus, Stoicorum vero compositionis artificium eum plane recusasse, ita ut eorum rationis exempla saepe transformaret, priorem dumtaxat partem etymi nomine proferens.

Magna sagacitate atque ingenii sollertia Reitzenstein l.l. p. 35, quamquam haud omnia eius exempla mihi parem persuadendi habent vim, permulta etyma latina nihil aliud esse demonstravit quam imitationes graecorum: e.g. *cura quod cor urat* = μελεδῶναι · αἱ τὰ μέλη ἔδουσαι φροντίδες. Nimirum haec ratio imprimis a Stoicis colebatur, qui cum linguam φύσει esse contenderent, adversariorum impetum linguas omnes easdem res vocibus dissimilibus notare defendentium, eo repellere conabantur, quod vocabulorum saltem formationem eadem modo fieri ostendebant. Huiusmodi etyma Aeli propria mihi esse videntur utpote Stoicorum doctrinam sectantis; Varroni ea parum accommodata esse opinor, ita ut ea accipere, non ea excogitare potuerit. Quae res ea de causa singularem poscit disquisitionem. E.g. explicatio: *far a faciendo* (V 106) potuit cognata quadam ποία ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, *caccabum a coquendo* (V 127) πατάνη ἀπὸ τοῦ πέττειν esse excitata, licet has duas etymologias in Etym. Magn. et Gud. non invenerim. Sic etyma: *pater a patefaciendo* (V 65) cum Etym. Magn. p. 655, 57:

ἢ παρὰ τὸ σπείρω σπατὴρ καὶ πατὴρ ἢ παρα τὸν ἦχον τὸν γινόμενον ἐν τῷ καταφιλεῖν τὰ παίδια (cf. Etym. Gud. (Sturz) 455, 24) et *cervi* enodatio (V 101; haud p r i m u m etymum in V 117 exstat) cum verbi κέραος explicatione (cf. Paul. Fest. p. 54, 15 M.) arcte coniuncta esse possunt.

Pro comperto affirmare non ausim, etyme quoqua quae certis declinationis formis utuntur Aelio adiudicanda esse: e. g. vel maxime in: *corbes a corruebant* (V 139), *sulcus a sustulit* (V 39; propter ὅλκος ἀπὸ τοῦ ἕλκειν?). Licet enim talia apud Stoicos et Iohannem Mauropum frequentia sint et Aelium quoque iis usum vel potius abusum esse veri simile sit, nulla tamen causa est, cur non Varro et ipse hoc artificium in coniecturis adhibuerit.

Ne multa, paucis declarare mihi liceat, quae mihi res generales magis spectanti maxime Aeliana, quae Varroniana esse videantur.

Aeli sunt vel esse possunt secundum argumentum (cf. Ioh. Mauropus ab Euchaitis) etyma ad caeli, terrae, temporum descriptiones pertinentia, ad naturae ostenta, ad animalia, ad res quae vitae humanae necessariae sunt; nimis specialia nondum tractantur; stilus brevis est atque pressus; etyma parvo intervallo sibi succedunt et quasi trudunt praecedentia; frequentes sunt loci laudati imprimis ex poetis. Res ex iuris vel antiquitatis studiis petitas Aelio non utique plane abiudicandas esse, fragmenta Aeli luculenter ostendunt; etyma tamen geographica et historica Aelio minus fortasse apta sunt. Quae norma si iusta est, multa Aeliana insunt in V 16 sq., 18 sq., 21 sqq., multa ib. 34-40, nonnihil propter mentem universam et propter veriloquia (cf. § 66) ib. 57-74, 75-79, et propter universum colorem §§ 95—104, 105—114, 115—117 (?), 134—140.

Varronis primum sunt additiones [1]) passim insertae, quae viro adeo docto atque Romanorum πολυγραφωτάτῳ [2]) dubio

[1]) De quibus cf. VI 3: VII 73—75 et Reitzensteini disputatio l.l. 32 sq. Exempla plura: V 38 „a quo potest — solis", ib. 95 „quod pecore— „primum", VII 12 „sed tamen — tueretur", cf. V 38 et de *caelo* V 18.

[[2]) Cf. Goetz l.l. (v. supra p. 115) p. 74 (10)].

procul non ubique ex certo fonte promendae fuerunt; immo vero eas numquam non in promptu habebat atque operi suo largiter aspergebat. Imprimis Varronis videntur: geographica, historica, ad ius pertinentia (cf. Reitzenstein, *Ioh. Maur.* p. 39, A. 1); stilus largus et copiosus; disputationes uberrimae in honore sunt, ipsa etyma rara sunt atque res minoris momenti esse videntur. Exempla sint: V 31 sqq., 41—56, substantia §§ 57—74, 80—90, 91 (?), 92—94, 118—133 (?), 141—184.

Nisi me omnia fallunt, duae viae adhuc supersunt, quae ad discrepantiam inter Aelium et Varronem melius cognoscendam aditum praebere videantur.

Nempe comparationem Aeli fragmentorum instituere possumus cum etymis Varronianis ad easdem res pertinentibus. Denique videamus, quatenus etyma Varroniana a Kriegshammero Aeli libris rusticis attributa cum Aeli fragmentis congruant iisve aliquantulum addant, quod ad Aeli etymologiam describendam gravius sit.

A. Kriegshammer partem iam huius inquisitionis instituit (p. 77 sqq.), sed is alio ductus consilio potius rationem inter Varronem Verriumque perscrutatus est. Haec igitur etyma in iudicium vocantur:

1. *latro.* Fusius de hoc etymo cf. Goetz, *B. Ph. Woch.* 1886, 784 in recensione A. Spengeli editionis, et Kriegshammer p. 79. Aeli opinionem refert Isid. Or. X 160: *latero a latere, insidiator viae.* Varronis invenies L.L. VII 52, ubi quam temere omnia confuderit neminem fugit, et Serv. ad Aen. XII 7, qui V a r r o n i istam formam hypotheticam „latero" tribuit. Forsitan sic res se habeat, ut Aeli sit veriloquium latronis = insidiatoris a „latere", et forma ista „latero", quales apud Varronem nonnisi raro [1]) occurrunt, Varronis autem explicatio sensus „mercennari" et etymum graecum, fortasse etiam ineptae illae enodationes: „atque ad latera habebant ferrum", et altera: „a latendo".

1) E.g. „parida" (V 178) et v. infra.

Varro VII 52 et Paul. Fest. p. 118, 16 M. eundem habent ordinem, ita ut Varronem hanc rem iam in Antiquitatibus tractasse, probabilis evadat coniectura (ex Antiquitat. libro 24? cf. Kriegshammer p. 94).

2. *mania* apud Aelium (Fest. p. 129 a 26) et Varronem L.L. IX 61 comparationem omnino respuunt.

3. *miles.* Aelius a „mollita" (Paul. Fest. p. 122, 15), Varro a „mille" numero (L.L. V 89), neque Aeli veriloquii mentionem facit.

4. *monstrum.* Aelius (Fest. 138b 18): „a monendo velut monestrum"; Varro (Serv. Dan. A. III 366) ad verbum: „quod monet." Quod si Varro ex Aelio sumpsit, in re phonetica minus accuratus quam ille fuit.

5. *nefrendes.* Aelius (fr. dub. 64 ap. Fest. p. 161 a 12) et Varro R.R. II 4, 17 (cf. Serv. Dan. A. VIII 230 = Fun. fr. 426). At quia alter de altera vocabuli significatione loquitur, conclusionem non permittunt.

6. *novalis.* Aelius (Fest. p. 174 a 16) ex Graece *νειῷ* deducit, Varro autem L.L. VI 59 a *novo*, V 39 a *novando.* Hic Varro formam nominis diligentius respexisse videtur. Attamen hoc loco Verrium vel Festum in interpretatione glossae Aelianae lapsum erravisse suspicor. Ni omnino fallor, denuo hic istam rationem deprehendimus, quam Reitzenstein detexit: scilicet Aelium hanc sibi notasse proportionem *νειός* : *νέος* = novalis : novus [1]), quare „novalis" ad graeci vocabuli exemplum fictum esse sibi persuasit. Numquam, opinor, Aelius eo audaciae venit, ut graecum *νειός* in latinum „novalis" mutatum esse crederet. Cur Varro istam rationem praeteriit silentio?

7. *novensiles.* Aelius (Arnob. III 38) eas Musis adaequat;

[1]) Cf. Etym. M. 602 381: Νειός· *ἡ ἀρόσιμος γῆ. παρὰ τὸ νεῶ, νεὸς, καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι, νειός. Σημαίνει δὲ τὴν ἀνανεουμένην γῆν· ἀνανεοῦται γὰρ ἡ γῆ ἀρουμένη* (ib. 748, 50 cum Gaisfordio haud *νεός* sed *νέος* legendum esse videtur, cf. 600, 40, quamquam ibi est *παρὰ τὸ νέω, τὸ πορεύομαι, νεὸς καὶ νόος, καὶ παρὰ τὸ θέω, θεὸς καὶ θόος*). Idem fere habet Etym. Gud. p. 404, 42 et 405, 53 (*νεός*).

Varro L.L. V 74 vocabulum sabinum esse pronuntiat forma *Novensides* (? cf. Goetzi et Schoelli editio). Haec nihil certi ad nostram doctrinam addunt, quia Aelium id verbum per compositionem explicasse non constat.

8. *nuptiae*. Aelius (Fest. p. 170 b. 24) ab „obnubendo", quod esse obvolvendo, Varro L.L. V 72: „ab nuptu, id est opertione." Varro Aelio hic nititur? Ipsa enuntatio diversa eam coniecturam minime commendat, quamquam Kriegshammer p. 79 ita sentit.

9. *pandere*. Aelius laudatus a Varrone, cuius verba exstant apud Non. p. 44, 1 (M.): *a pane dando* (ubi „pandere sinum" vel tale quid ei succurrisse puto). Affirmare non ausim, sicut Nonius l.l. facit, Varronem hanc explicationem approbasse: immo totus loci tenor contrarium significare mihi videtur.

10. *subucula*. Aelius (Fest. p. 309 a 25) de cibo quodam in sacris adhibito loquitur neque etymum profert; apud Varronem (V 131) vestimenti genus est a *subtus* derivatum, — id quod Festus quoque memorat.

Iuglandis explicatio Aeli (fr. dub. 58 ap. Plin. N. H. XV 91) num Aeli propria sit adeo incertum est — quamquam Ioh. Mauropus vs. 445 sine dubio eo tendit —, ut eius comparationi cum L.L. V 102 et fr. 431 (Serv. Buc. VIII 29 ex Varronis „Aetiis"), quae tria idem veriloquium exhibent, haud multum tribuam.

Nescio an non multum concludere liceat ex Aeli fr. dub. 60 (Fest. p. 122, 4, cf. fr. 1 et 14) de vocabulis: *Matuta*, *mane*, *manes*, *manus*, comparatis cum L.L. VI 4, et fr. 167 (August. civ. dei IV 8). Varro illic Aeli explicationem refert nomine non laudato, hic cum „maturescendi" verbo ea coniungit.

Denique Varro Aelium laudat in libris de L.L. in vocibus: *Caelum*, *Dius Fidius*, *intempesta nox*, *Puticuli*, *terra*, *triones*, *volpes* (= V 18, 66, VI 7 (cf. VII 72), V 25, 21, VII 74 sq., V 101). In vocabulo „caelum" Aeli rationem clementer vituperat (cf. Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 87, A. 1);

in „Puticulis" Aeli explicatio secundum locum obtinet, in „trionibus" deinceps aliam (suam?) enodationem proponit per „trigona" (cf. Gell. II 21 et Reitzenstein l.l. p. 32). Reliqua accepisse videtur, ut quibus ipse assentiretur. Ut breviter haec comprehendamus. Statuere non licet, alterutrum e.g. explicationes ex nominibus vel verbis praetulisse, sicut Aelius *mane* et *novalis* ab adiectivis, Varro a verbis derivat, in *Puticulorum* vero nomine ordo inversus est.

Aelius in rebus phoneticis accuratior est (cf. 1 et 4), Varro magis sobrius ideoque saepe melior, cf. 3 et 6. Varro figuram κατὰ ἀντίφρασιν reicit, cf. L.L. V 18 et supra 3.

B. Deinde etyma rustica excussi, quae Kriegshammer p. 106 sq. ex Aeli libro etymologico derivata esse censet sc. V 34—40, 75—79, 95—99, 100—101, 102—104, 134—140 v. supra).

Nescio [1]) an notandum sit, in unaquaque parte similitudinem haud statim inde ab initio, sed post aliquot versus demum coepisse: sc. § 37, 76, 97, 101, 103 (in §§ 134—140 similitudo ad nihil omnino redacta est). Quod fortasse fortuitum est: sin minus, unde factum sit, vix extricari posse arbitror.

Ne omne vinculum inter duos auctores abesse contendas, tantum moneo glossam: *fiber* L.L. V 79 et Paul. p. 90, 3 (M.) in hac re dubium omne removere [2]).

---

[1]) Supra iam dictum est minorem solum partem etymorum apud Varronem exstantium apud Verrium quoque inveniri. Sed in iis, quae Kriegshammer enumeravit, multa insuper insunt, in quibus explicatio non solum forma sed etiam re apud utrumque longe diversa est. Notavi: *arvum* (V 39: Paul p. 25, 12), *cervi* (V 101: p. 54, 15), *fedus* (V 97: p. 84, 5), *irpex* (V 136: p. 105, 16), *lingulaca* (V 77: p. 117, 1), *luma* (V 137: p. 120, 15), *ventilabrum* (V 138: p. 77, 15).

[2]) Cf. etiam Varro L.L. V 97 et Paul. Fest. p. 48, 14 (de *capra*), V 91 et Fest. 355 a 6, ubi *turmae* veriloquium miro modo eisdem fere verbis apud Varronem et Festum enuntiatur. Festus igitur nonnumquam Verrium Flaccum ad verbum reddidisse videtur.

Longum est omnia enumerare, quae in tali examine inveniuntur quaeque in tabulis descripsi.

Ne multa, etymorum natura, qualis in istis partibus apparet, ab Aeliana, quam cognovimus, haud ita multum abhorret. Sed quoniam de exemplis agitur adeo paucis, optimus eventus iam in eo positus est, ut responsum non negativum audiamus, id est, ut ista haud aliam indolem nobis aperiant atque in Aelio offendimus.

Hic igitur compositio et derivatio exstant; haec iam uberior quam illa, si earum apud Aelium rationem comparaveris; etiam onomatopoeia adest et mutuatio ex linguis externis (i.e. ex graeca tantum lingua, quoniam L.L. V 97 *fedi* glossa non nisi comparationem spectare videtur). Figura κατα ἀντίφρασιν deest, a Varrone, ni fallor, identidem repulsa [1]).

In rebus phoneticis idem fere cernitur, quod Aelius nobis proposuit. Litterarum additionis usus aliquantulum frequentior est; aphaeresis (cf. *sirpex* V 136) apud Aelium nondum inventa erat; metathesis hic quoque non deest (cf. e.g. *capra* V 97, *greges* V 76). Syncopae exempla paulo sunt audaciora quam in fragmentis Aeli: pessimi exempli fuerit illud *sustulit* > *sulcus*, quod nescio an graeco ὅλκου etymo nitatur.

Postremum eandem inquirendi viam in iis partibus ingressus sum, quas Krieghammer ex Varronis Antiquitatibus desumptas [2]) esse putat (ib. p. 87 sqq. et 101), quae fructum etiam multo minorem promittunt: neque enim

---

[1]) Hic quoque duo vocabula inter se aequantur: e.g. *agnus* = „agnatus", quod nobis illud Aeli: „fidius = filius" in mentem revocat.

[2]) Hic non minus Kriegshammer nonnullas glossas tamquam similes vel certe comparandas proposuit, quae comparationem non admittunt: e.g. *arma* (V 115: p. 3, 13 et 25, 7), *Orcus* (V 66: p. 205 b 22), *Portunus* (VI 19: p. 242, a 1 et 56, 5), *rica* (V 130 et 132 ex diversis fontibus!: p. 277 a 5 et 289 b 19), *tragula* (V 115 et 139: p. 367, 16). Quod vero Kriegshammer pronuntiat (p. 96): „hi loci quamquam „dissimiles sunt, tamen Varronem illa verba apud Paulum servata „non protulisse, non est cur contendamus" severae doctrinae rationi retragatur. Ubi tandem, si istud comprobaveris, coniciendi finem?

ad discernendam earum originem neque ad Aeli Varronisque etymologiam melius cognoscendam, quod quidem operae fuerit pretium, quicquam conferunt. Namque in his vocabulis ut difficultas, ita explicatio tota fere in rebus posita est sive ad historiam sive ad geographiam sive ad antiquitates tam publicas quam privatas pertinentibus. Vocabulorum origo plerumque ita prompta est, ut in ea divinanda variae sententiae vel errores oriri nequeant.

Omnia fere per derivationem explicantur; compositio nonnisi perrara est: e.g. *aedituus* (L.L. VII 12; VIII 61, cf. Kriegshammer p. 98, qui ea huc traxit) et assis partes (V 172 sqq., cf. Walde *Etym. Wrtb.* s.v. „dodrans"). Aeliusne iam de his rebus scripsit (cf. *denarius* V 173 et Aeli fr. 6)? Crebrae hic sunt multarum litterarum additiones sive potius derivationes satis laxae ac socordes (e.g. *assiduus*[1]) < „assum" VII 99; *fiscina* < „ferendo" V 139), quales posthac veras Varronianas agnoscemus. Quae o m n i a a Varrone aliena non sunt.

Ecce nos ad priorem locum reversos, quoniam posteriores nostrae explorationes de etymologiis Aeliana et Varroniana plura nos non edocuerunt. Itaque ad tempus paucis his eventibus contentos esse oportet. Si singulis in rebus unde quodque veriloquium venerit discernere velimus, vereor ne ad id genus coniecturas nobis decurrendum sit, quae suspensae in vacuo fluctuent incertae aut nova quaque ingenii suspicione in contrarium vertantur.

Quicumque libros de Lingua Latina plus semel perlegerit, inaequalitates atque inconstantias in iis negari non posse ingenue fatebitur. Quae dubio procul partim discrepantiae inter Aelium Varronemque exstanti imputandae sunt, partim ex ipsius Varronis inconstantia necnon inconcinnitate ortae sunt, qua ex superioribus eligebat, sua addebat, disponebat, totum componebat.

[1]) Haec explicatio probabiliter Varronis est, siquidem Aelius l.l. aliter id vocabulum extricavit. Scrupulum tantum movet, quod una cum eo coniunctum est etymum ipsi etiam Aelio, ut videtur, audacius: *frequens* < „fere quom (ens?)".

Quaedam vestigia eius differentiae iam eruimus, quae tamen nihilo magis abunde normam eiusmodi suppeditaverunt, qua unumquidque iudicare possemus.

Denique ut obiectioni occurram, Varronem in l.l. VIII–X revera tres fontes diversos [1]) *penitus exhausisse* videri, paucis moneo ibi praeter exiguas additiones vel mutationes aut omnem fontis rationem accipiendam aut abiciendam fuisse; verum in nostris libris unusquisque etymorum copiae ubivis libere addere potuit, ut non rerum contextum turbaret. Hoc maxime in Varronem nostrum spectat, qui suam etymologiae rationem adeo facilem adeoque arbitrariam formaverat, ut vel puer magnum eorum etymorum numerum suscipere posset. Varro, ut obnoxius erat fortunae in vocabuli forma positae, quin optima coniungeret pessimis necnon crearet quae longissime inter se distarent fieri non potuit.

Sed iam finis adest. Libri II–IV dubio procul cum istis VIII—X magnam habebant similitudinem. Quorum argumentum Varro L.L. V 1 enarrat. Quid autem ibidem dicere voluerit illis: „quae contra eam dicerentur," non liquet. A quibus? Stoicosne significat de promissa veri scientia iam desperantes? Nescio an ibi quoque de controversia φύσει : θέσει disseruerit. Qui libri si nobis servati essent, nimirum ibi Varronis rationem mediam inveniremus inter duas extremas, Stoicos recentiores et novos grammaticos, Philoxeni satellites, haec omnia exemplis illustrata (cf. L.L. V 6, i.f.). A vero non longius aberimus, si comparationem inter l.l. V—VII et II–IV, inter usum et doctrinam institutam clare demonstraturam fuisse credemus, Varroni quoque nostro grave fuisse doctrinae rationem excogitare concinnam, multo vero etiam gravius eam i n u s u tamquam ad obrussam exigere t o t a m q u e e v o l v e r e [2]).

---

[1]) Veranium etiam Varronis in his libris nonnumquam fontem fuisse Kriegshammer perhibet p. 97.

[[2]) Alia via me ad eundem fere vel similem eventum pervenisse atque Goetzium v. cl. (v. supra p. 115), vehementer gaudeo. De discrepantiis quibusdam cf. Addenda].

B. Ubi Varronis doctrina etymologiae, tam artis praeceptis quam eorum usu illustrata, evolvitur.

Ipsa Varronis veriloquia et dicta ad nostram artem pertinentia nunciam excussurus iam Lerschium (III 113 et imprimis 169 sqq.) et Steinthalium (I 343 sqq. et II 130 sqq.) his de rebus breviter egisse moneo. Nos vero si diutius in iis versabimur, cogitatione necnon experientia ita agimus inducti, post Varronem scilicet tam in arte etymologica quam in ipsis etymis parum admodum esse mutatum atque innovatum: apud Verrium Flaccum e.g. plures inveniuntur glossae, nequaquam meliores. Immo quanto longiore temporis spatio Romanorum ἐτυμολογικοί ab initio studiorum remoti sunt, tanto, ut fit, maiore stupore, iudicio autem atque intellegentia magis magisque hebetatis id tantum sibi sumpserunt, ut tradita traderent vel corrigerent, de suo pauca tantummodo — et qualia! — adderent.

Isidorum unum excipere par est, qui permultis etymis nos ditavit: quae si non meliora sunt, attamen satis superque a superioribus distant, ut eum de etymologia romana suo Marte bene promeritum esse ingenue fatendum sit. Iamque igitur fusius describere nobis in animo est, qualis fuerit illa, ut ita dicamus, etymologia romana.

De rebus hisce agetur:

I. Qualis Varronis sententia de etymologiae argumento, finibus, natura ac ratione fuerit.

II. Quomodo Varro (i.e. Aelius—Varro, quod semel monemus)[1]) voces latinas ortas esse putaverit.

1. verba a linguis externis mutuata.
2. onomatopoeia quae dicitur.
3. duo plurave verba inter se aequantur:
   α. ratione semasiologica positiva.
   β. ratione semasiologica negativa (figura κατὰ ἀντίφρασιν).
4. Compositio.
5. Derivatio.

III. De rebus phoneticis.

IV. De rebus semasiologicis.

V. Si quid etyma ad cognitionem pronuntiationis Romanorum conferre possint.

I. Varronis de etymologia opinio.

Quae doctissimae Reitzensteinii disputationi addenda vel in ea mutanda esse in capite superiore demonstravimus, ea disquisitioni de Varronis ipsius sententia difficultates multas magnasque obtrusisse, quis non videt? Si Wilmannsi commentatio in eo erat, ut auctor nihil omnino gravaretur locos, puta ex ll. VIII et X sumptos, coniungere tamquam invicem se confirmarent stabilirentque, ista ratio hodie certis tantum condicionibus adhibenda esse videtur. Neque enim ut, unde quidque Varro sumpserit, certis finibus discerneret cuiquam adhuc contigit, quo id damnum compensare possemus, neque umquam fortasse responsum ex omni parte bonum his quaestionibus dabitur[2]).

Verumtamen ne sic quidem plane desperandum est:

[1]) Cf. quae diximus p. 115—143.

[2]) Cf. quae Reitzenstein ipse de L.L. X dicit (p. 65 l.l.), talem eventum desperans; id quod multo etiam magis ad ll. V—VII mihi pertinere videtur. [Cf. nunciam Goetz l.l. (v. supra p. 115) p. 80, 82 et passim].

nonnihil proficiemus nobiscum considerantes, Varronem, etsi in artis praeceptis superiorum rationibus semper fere nititur, quibus vereor ut multum ipse addiderit, tamen iis in suum opus recipiendis quodammodo ea sanxisse atque tamquam sua propria reddidisse. Atqui haec ipsa consideratio spe minorem affert fructum, quia res nobis est cum Varrone, quem hominem fuisse scimus magis laboriosum quam ingenio critico praeditum; quaerenti enim, cur tandem Varro tam multos fontes natura, tenore, mente diversos temere coniungere non dubitarit, nihil aliud respondeo quam hoc: propriam de his rebus opinionem non habebat adeo fixam atque stabilem, ut ea fretus haec probare, illa reicere valeret; Varro, ut aequalis eius Cicero, unus ex multis illis erat, qui, iam ab initio homines haud sui iudicii, potius ex iis, quae superiores reliquerunt, eligere soleant quam propriam sibi ex ipsorum meditationibus sententiam construere, quique, ut fit, ea semper repetentes acre ingenium non adipiscantur, quia se ipso carent tamquam subiecto, ut ita dicam, quocum subiectiva cetera conferant ut ex his segregent obiectivum. Dum ita subiectivam partem neque habent neque agnoscunt, ad obiectivam se attollere non sustinent: utrimque igitur claudicant.

Nihilominus operae pretium est Varronis sententiam ex libris de L.L., de R.R. — qui pauca admodum afferent — et 461 fragmentis quam potest optime concinnare. In qua re Wilmansi eximia commentatio de Varronis fragmentis unicuique adhuc magno adiumento fuerit.

Unde igitur hauriamus praeter ll. V—VII (de quibus vide p. 115—143)? Omnibus iam statim manifestum est, aut libri VIII aut libri IX summam esse excludendam, quia prorsus contrariam defendunt sententiam. Quod ut decernamus [1]), alii quaestioni respondendum est: Varro analogiae an anomaliae sectator fuit? quae fuit eius opinio

---

[1]) In utroque Varro de se loquitur: cf. „ego" VIII 64 et IX 40.

de controversia, utrum lingua φύσει an θέσει [1]) contineatur?

Nimirum liber X est in quo haec res tamquam cardine vertitur. Ne hunc quidem librum Varronem ipsum c o m p o s u i s s e, antea iam animadversum erat et Reitzenstein (v.s.) paucis indicavit et unicuique lectori attento ex totius libri indiciis liquet [2]). Ipsa tamen operis compositio postulat, ut hoc libro potissimum suam, i.e. alienam maxime sibi placentem posuerit sententiam [3]). Sed et totius libri tenor Varronis menti, semper fere mediam inter extremas terentis viam, tantopere videtur esse accomodatus, ut tuto huius libri sententias pro fundamento collocare possimus.

Tres analogiae proponuntur definitiones (X 74): u n a „quae derigitur ad naturam verborum", quamque „sequi debet populus" est „verborum similium declinatio similis," s e c u n d a „quae ad usum loquendi (sc. derigitur)", quam „omnes singuli e populo (sc. sequi debent), illi similis est, addita condicione hac: „non repugnante consuetudine communi", t e r t i a „poetica" istis respondet, ubi „ad extremum additum erit hoc „ „ex quadam parte" ". Quas sententias expressius illustrant L.L IX 4—7, qui liber tamen fortius analogiae officium vindicat c o n t r a c o n s u e t u d i n e m sua norma linguam c o r r i g e n d i (cf. c. 16). Notandum sane est eodem libro (IX 3) primum, quod sciam, ipsam analogiam primitus „ex consuetudine quadam natam" declarari, ita ut postea ipsa matrem suam corrigeret! Non male haec, attamen quam puerilia!

Sed verum habemus Varronem in libro X. Fontem suum

---

[1]) Quantopere haec controversia etiamtunc apud Romanos viguerit, monstrat locus notissimus de Nigidi Figuli etymologia (Gell. X 4), quo exempla „nos, vos" (cf. ἡμεῖς, ὑμεῖς) suis propriis explicationibus ornare debuit.

[2]) Pauca affero exempla: § 37 „sequitur tertius locus"; § 75, § 75—78, quas siquis attente legerit, movebitur, tamquam hic fons aliquis magis magisque strictim excerpatur. Graecum fontem fuisse, Reitzenstein ex ordine nominum graecorum § 75 (cf. p. 65 l.l.) coniecit.

[3]) Cf. „ipse" L.L. X 1. „Ab ullo" ibid. videlicet intellegendum est, Romanorum.

male intellexit. Tertia namque forma in fonte nil nisi secundae exemplum erat, cui Varro (cf. L.L. VII) ipse videlicet suum locum vindicavit: cf. L.L. IX 4—6, 114 et X 75—79, ubi de poetica analogia altum est silentium. Porro in libro IX distinguuntur populus et e populo singuli homines, id quod sanum praebet sensum. In libro X vero, ut suam poeticam analogiam servet, Varro cogitur secundae classi nimium obtrudere, definiens eam „omnes singulos sequi debere". Quomodo autem, si unusquisque nostrum suo Marte ab usu declinat, populi analogia — non ut „abstractio" ex factis deducta sed ut dirigens corrigendi norma exstare posset Varro non quaesivit.

Secundae nunciam analogiae species ea est, quam Varro dubio procul maxime agnovit, utpote suae indoli aptissimam. Quo quadrat, quod l. X 78 hanc tantum analogiam fusius describit inque ea longius moratur. Quam sententiam Varroni maxime placuisse, probatur fragmento notissimo, de quo supra (p. 75, A. 3) iam egimus, apud Diomedem (p. 439, 15, Fun. fr. 268): „constat autem (sc. latinitas), ut adserit Varro, his quattuor, natura analogia consuetudine auctoritate e.q.s." De hac re cf. docta disputatio Reitzensteini (*Geschichte d. gr. Et.* p. 185 sq.), Usener (l.l., p. 623; graeca sunt: *ἐτυμολογία, ἀναλογία, συνήθεια, ἀξίωμα*?).

Praeter istam condicionem Varro in sequentibus analogiae imperium finit propria declinatione (X 53): „impositio „(sc. nominum) est in nostro dominatu, nos (ut Varro parum) apte describit, cf. sequentia [1])). in naturae: quemadmodum enim quisque volt, imponit [2]) „nomen; at declinat, quemadmodum volt natura". Hoc ei adeo grave est, ut interdum natura idem sit atque casus obliqui, cf. L.L. X 60: „principium id potissimum sequi

[1]) Namque argute disputanti, si nos in naturae sumus dominatu, etiam nominis impositio naturae tribuatur, necesse videtur. Quod conicias: „usus", (cf. § 60 i.f.) vel „casus", vel „non", parum placet.

[2]) Ut *τιθέναι* latine verbo imponendi vertitur, ita tamen *θέσις* et impositio non „a priori" idem est, quia impositio *φύσει* vel potius *κατὰ φύσιν* cogitari potest.

„debemus, ut in eo fundamentum sit in natura, quod in „declinationibus ibi facilior ratio. Facile est enim animad„vertere, peccatum magis cadere posse in impositiones „eas quae fiunt plerumque in rectis casibus singularibus, „quod homines imperiti et dispersi vocabula rebus imponunt, „quocumque eos libido invitavit; natura incorrupta ple„rumque est suapte sponte, nisi qui eam usu inscio de„pravabit."

Notiones simillimas invenies in exordio illo, L.L. VIII 1—24, ubi in nova Goetzi et Schoelli editione haec leguntur: „duo omnino verborum principia, impositio < et „declinatio>, alterum ut fons, alterum ut rivus". (Cf. ibid. § 7 et 21 cum l. X 69). In fine (§ 23): „— cum, ut ego „arbitror, utrumque [1]) sit nobis sequendum quod < in > „declinatione voluntaria sit anomalia, in naturali magis „analogia." Est tamen ubi haec prior pars libri VIII [2]) a libro X discrepet: hic enim derivationis mentio non fit neque eam, ut Stoici putabant, declinatio comprehendit, illic revera ita est, cf. VIII 18; illic (VIII 22) declinatio naturalis „communi consensui" [3]) adaequatur, cuius notionis in libro X ne tenuissimum quidem exstat vestigium. Nihilominus hae differentiae tantae sunt, ut Reitzensteinio assentiri possimus, ubi (alia de causa) demonstrat (*Ioh. Maur.* p. 66), L.L. VIII 1—24 a Varrone aliunde sumptam esse quam reliquam eius libri partem, at minus iam ubi perhibet, ea introductionis causa libris de L.L. VIII—XIII prae-

---

[1]) De hac duorum principiorum: φύσει : θέσει, anomalia : analogia, conciliatione v. supra p. 61 sqq. et 72 et imprimis Reitzenstein *Ioh. Maur.* passim (et infra in hoc capite).

[2]) Ne hic quidem fons sibi constans fuit, nam quae differentia inter impositionem (§ 5) et voluntariam declinationem (§ 18 et 21) fuerit non dicit. Hancine ita sibi finxit, ut eam putaret impositionem nominum iam exstantium? Utut haec sunt, θέσει inibi utique derivatio est contra Stoicorum opinionem. (Cf. partim iam Reitzenstein l.l. p. 26 et 81). Parum altam, hercle, cogitationem! Quasi vero quis, si sciens ac volens aliquid facit, idem non secundum naturae legem facere possit.

[3]) Cf. alio sensu hoc vocabulum L.L. V 8.

fixa Varronis ipsius sententiam exacte reddidisse. Unde haec Varro transtulerit vide App. II.

Varronem in usu quoque analogiae ius corrigendi vindicasse, omnibus melius fragmenta quaedam docent: cf. fr. 14 Fun. (Char. p. 141, 29) quod unam, frg. 5 (ibid. 113, 3) et 256 (ibid. 131, 10), quae aliam, fr. 257 (ibid. 53, 15), quod tertiam utrique contrariam sententiam profert. In usu igitur saepe haesitavit.

Quid quod alibi (L.L. VI 3) ex eiusdem Varronis ore prorsus contraria audimus: „ea (sc. natura) enim dux fuit „ad vocabula imponenda homini". Quae quamquam in ipsis libris etymologicis sunt, non tamen magnopere moveor, ut ipsius Varronis talia esse credam. Namque adeo Stoicorum mente imbuta sunt, adeo sequentia (cf. Reitzenstein l.l. p. 31) Stoam spectant, ut Aelio Stiloni ea tribuere minime verear. At Varronis ingeni acumen propter incredibilem eiusmodi socordiam nonnisi parvi facere possumus, qui inscius, ut videtur, de eadem re duobus locis prorsus aliter iudicaverit, ita ut ipse sibi conciliari nullo modo possit.

Quam sententiam in hac re Varro suam declaravit, ea haud ita multum nostram admirationem movere debet. Noster enim primo ante Christum saeculo quantum Hermogenis illius apud Platonem depicti similis sit, incredibile est. Hic quoque nominis impositio uniuscuiusque voluntati, omnibus legibus solutae, subiecta est: „vocabula rebus imponunt, „quocumque eos libido [1]) invitavit" (X 60), θέσις igitur est perquam arbitraria. Enimvero rationes, quas apud Iohannem Mauropum invenimus, Varronis aliquantum praestant, quia consensus populi sive probans seu reiciens singulorum impositioni quasi tutelae forma praeposita est. Libri VIII praefatio cognatas habet notiones (v. supra), ut Reitzenstein (cap. I) iam animadvertit.

Cui opposita est natura (φύσις), finibus declinationis, qualem hodie novimus, circumscripta. Si quis hos locos relegerit,

---

[1]) Cf. X 56.

ei sine dubio succurret, grammaticos graecos recentiores cum ante omnia anomaliae generalis postulatum infringere studerent, viam non meliorem repperisse quam si n a t u r a e[1]) notionem leviorem neque nimis elaboratam armis undique collectis contra inimicum ornarent eo modo, ut prae armis istis ipsa naturae vis, sub tanto pondere iam dudum exanimata, plane absconderetur. Neque in ratione historica neque in analytica apud Varronem inveniemus quod superioribus praecellat.

Nihilominus iste Hermogenes alter sui temporis nota non caret, quod in eo indicia exstant, post Platonem multos naturae etiam in i m p o n e n d i s n o m i n i b u s cunctam facultatem aut saltem partem eius vindicasse. Locis nonnullis Varro istam opinionem invitus atque inscius ostendit: inde explicandae sunt naturae laudationes X 60, etiam illud parum recte dictum: „nos in naturae" X 53, et expositio VIII 10 i.f.

Duo sunt quae in hac Varronis disputatione notatu videntur esse dignissima:

1. Quod hic, ut in Iohannis Mauropi etymologico, duo opposita sibi inimicissima conciliari conantur: φύσει et θέσει, analogia et anomalia. De qua re quoniam Reitzenstein in opusculo saepius laudato (p. 23—25, 60, imprimis 81 sq.) egregie disputavit, eo legentem revoco. Mirum nobis praebetur spectaculum, in quo unus vicisse videtur, cum revera alter victoriam reportaverit. Analogiae enim defensor cum tota genera et singula verba ex analogiae imperio eximit, ubi p r i m a m agnosci s i n i t exceptionem, cunctam analogiae principium prodat necesse est. Quod affirmare videtur sententiam supra prolatam, anomaliam numquam fuisse principium positivum, sed negativum tantum: quod si aliter fuisset, non minus victoria ei quoque denegari debuerat. Eximie hanc rem tractavit Steinthal l.l. [2] II 153—161.

[1]) Natura hic analogiae socius et fundamentum est, v. supra p. 79 sqq. et infra.

2. Quod etiam ipsius n a t u r a e definitio mutata est, quae cum iis quae supra monita sunt arcte cohaeret. Mirum in modum — ut ibidem exposuimus — Stoici linguam φύσει esse pronuntiaverant idemque anomaliam primi tueri coeperant: Aristarchei una cum conceptione linguae θέσει natae eius analogiam summis defendebant viribus.

Qui rerum status nimirum mutari poterat, si linguae aestimatio alia evaderet aut si homines rationem inter naturam et mentem humanam (θέσιν) intercedentem aliam atque antea cogitarent. Haec autem res hic incidit.

In capitibus enim antecedentibus qualem saecula priora, imprimis Heraclitus, Sophistae, Aristoteles naturam aestimavissent exposuimus. Modo νόμῳ d i v i n a e o r i g i n i s o p p o s i t a, modo interpretata tamquam n a t u r a h u m a n a i n t e g r a necdum artibus liberalibus culta, modo sub forma r a t i o n i s h u m a n a e accepta, quae philosophiae studiis nondum in statum sublimiorem educta esset, comparationem cum mente religiosa, cum scepticorum eius temporis ratione extremo indulgentium subiectivismo, denique cum philosophia facultatis necnon pretii sui conscia institutam sustinere non potuerat.

Iam vero tempora mutata erant: naturae notio pristino honore iam dudum efflorescere coepit. Si Athenienses IV et III saeculo a.C. sive philosophia elati sive desperatione depressi mediam illam viam reliquerant naturamque iusto magis spreverant, nunciam homines mediocrem rationem secuti naturam agnoscebant neque tamen noscebant. Natura idem iam est atque ordo, concinnitas; nihil aliud. Testis est universus tenor libri IX de L.L., cf. e.g. c. 18 et locus laudatus in l. X (60): „natura incorrupta plerumque est „suapte sponte, nisi qui eam usu inscio depravabit." E contra mentis humanae condicio ita iam comparata est, ut, magnis difficultatibus imparem se esse sentiat: quam sint omnia nostra arbitraria, secundum homines loca tempora variata, non iam latet, neque in tanta rerum varietate unam rerum summam perspicere conantur vel sustinent.

Ne multa, fiducia illa mentis humanae superbissima, qua freti etiam Aristarchei ipsum linguae ordinem et concinnitatem indicium esse credebant, linguam ab hominibus ratione usis esse formatam (θέσει) — quomodo enim natura, h. e. sponte, temere, tantae molis tantaeque pulchritudinis mirabile opus creari potuisset? — illa fiducia plane iam evanuerat.

Talibus rebus optime docemur, Varronem vel potius Romanos in culturae humanae historia plerumque nonnisi Graecorum epigonos fuisse. Iis fatum destinavit, ut in scena historiae aut prius aut posterius exsisterent quam ipsorum rationibus maxime conducere videbatur. Qui si prius fuissent, propria eorum cultura, artes, scientiae plus iam profecissent atque graecae invasioni meliore eventu restitissent; si posterius, Graeciam iam adeo debilitatam atque sucis optimis privatam habuissent, ut Italiae vires quominus libere lateque explicarentur prohibere non valeret. Nunc vero cultura Graecorum eo temporis puncto ingruit, quo neque praeterita per se iam magni momenti essent neque futurum tempus genti romanae externis insitae stirpibus multum promittere videretur, utpote quae nondum vitam suam ageret et aliena *adoptasset* potius quam re vera in sanguinem *penitus* recepisset. Sic in nostro quoque exemplo Romanus exitum tantum magni certaminis videt visumque accipit: at ipsum controversiae non interfuisse ideoque eius vim non tenere, undique patet.

Varroni nominis impositionem arbitrariam et cum mente humana erroribus obnoxia arcte connexam fuisse vidimus. Nunciam paulisper inquiramus, num huius rei naturam et condiciones accuratius descripserit.

In libris IX et X nusquam fusius de ea egit. Frustula igitur in reliquis libris obvia perscrutemur.

In libri VII exordio Goetz et Schoell, ut lacunae sensum suppleant, sic fere legunt: „< sic saepe ars architectonis „formam aedificii, quam oppressit > repens ruina, aperuit, „ut verbum quod conditum est e quibus litteris oportet

„inde post aliqua dempta si[t] obscurius fit, voluntas „impos<i>t[eri]oris <eruitur. cf.vs. 7>". Quid sibi vult illud: „quibus litteris oportet; voluntas impositoris"? Quae fuit in hac re norma iudicandi? Etiamne verba erant, quae non erant condita ut oportet? Haecine in linguae vita retinebantur? Varro nobis ad has quaestiones responsum non dedit. Attamen nescio an plura invenerit in fonte, quem hoc loco adhibuit (Aelium Stilonem?). Quod si rectum est, ipsa Varronis verba ad nostrum transferre possumus casum, statuentes primam scriptoris voluntatem obscuram fieri, si rudera tantum, non totum aedificium sub oculis posita sunt.

Idem autem Varro dicit (V 3): „nec quae exstat sine mendo omnis imposita." Qui locus quoniam ex eodem fonte emanasse debet, qui (VI 3) naturam ducem in imponendis nominibus esse pronuntiavit, hos tres libros V—VII eandem de vocabulorum origine sententiam amplecti, suspicari licet.

In libri VIII autem parte priore alia quaedam proferuntur, quae apud Varronem locum singularem obtinent neque alibi repetuntur: nempe homines numerum primorum nominum quam maxime intra arctos fines coercuisse, ut pauca tantum nova vocabula ediscere deberent, ex quibus certis regulis alia omnia deducerent (§ 5). „Ad illud genus, quod prius, historia[1]) opus est; nisi discendo enim aliter id non pervenit ad nos". Hic igitur, si usquam, conceptionem habemus *voluntatis humanae*, quae sibi *conscia* totam linguam formaverit, usui maxime et hominum commoditati servientem. Multo magis quam apud Platonem linguae vita cunctique eius motus atque mutationes quas *inscii* conficimus spissis tenebris obvolutae permanent.

---

[1]) „Historia" hoc loco nihil aliud significare potest quam: inquisitionem, studium, ex graeco *ἱστορία*? Aliter Reitzenstein l.l. p. 82 et A. 1. Fortasse: memoria? Hanc rationem Varro (§ 8) ita explicat: „ut propago omnis naturā secundā (sc. est), quod (sc. autem) prius (sc. est, cf. § 6 initium) illud (rectum) (sc. est), unde ea (sc. propago est), sic declinata (sc. comparata sunt, cf. § 4 initium)".

Hac re tantum et a libris IX—X et V—VII differt, quod hic solum, ut supra demonstratum est, m u l t i t u d i n i s c o n s e n s u s certum finem petere, non omnia a cuiusvis arbitrio dependere videntur.

Meo iudicio hoc maxime notandum est, in L.L. VIII 3—9 explicationem quidem, cur homines declinationem excogitaverint, satis esse puerilem. At id novum hercle est atque inauditum, neque ingenio caret, quod ibidem haec conceptio invenitur, varios nominis casus suo quemque modo ac p r o p r i a a p p e l l a t i o n e enuntiari p o s s e. Sed si mens humana ibi quibusdam vinculis se liberavit, idem locus eam vetusto illi vitio addictam coarguit, quod Varro rerum cognitionem cum earum per linguam enuntiatione arcte conexam esse putavit, cf. § 3: „— neque „quae didicissemus ex his, quae inter se r e r u m c o g n a- „t i o esset, appareret". Hic quoque fons non minus homines in p r i m i t i v a nominum impositione errasse opinatur (§ 7): „et enim illi, qui primi nomina imposuerunt rebus, „fortasse an in quibusdam sint lapsi [1]; voluisse enim *putant* „(sic) singularis res notare, ut ex his in multitudinem de- „clinaretur e.q.s."

Tripartita divisione, quo Varro aliique tantopere gaudent [2], exponit (VII 32): „cum tria sint coniuncta in origine ver- „borum quae sint animadvertenda, a quo sit impositum et in quo et quid e.q.s.," ubi „a quo" ἐτυμολογία aequatur, „in quo" est τὸ πρᾶγμα vel τὸ τυγχάνον, „quid" ipsum nomen. Quae divisio quantum Stoicorum rationem oleat, neminem fugit (v. supra p. 46). Notatu dignum est illud: „a quo [3]", non „unde" [4]; namque hoc diserte declarat, quid his studiis ageretur: non linguae origo, sed certae linguae vocabulorum

[1]) V. supra p. 153.

[2]) Cf. de hac re commentatio Useneri l.l., et Reitzensteini l.l. p. 31 et 37; pauca apud Steinthalium I² p. 343.

[3]) Si dixeris, singularem numerum compositionem totamque formulam onomatopoeiam excludere, rem nimis urgere videberis.

[4]) Quod exstat L.L. V 2, sed idem esse potest atque „a quo", cf. L.L. VII 1.

explicatio; tota iam ars quaedam evaserat, philosophiae partibus reiectis. Vocabula enim a vocabulis derivantur, ut res a rebus. Unde prima autem vocabula orta essent aut quaerere non curabant, ut Varro hoc libro, aut cum Cosconio (L.L. VI 36, 39, 40) principia verborum postulabant mille „de quibus ratio ab se non poscatur." Platonis inventa tunc temporis in magno honore utique non erant.

Rerum nomina, quamvis sint θέσει, tamen nihilominus in ista impositione rerum naturam sequuntur. Varro dubio procul subtilem disputationem philosopho debet (VIII 10): „quarum rerum usus erat simplex, simplex (N.B., non: singularis) ibi etiam vocabuli declinatus". Etiam in analogiae praeceptis ad genus et numerum pertinentibus (in l.l. IX et X) saepe ad rerum naturam provocat, cui huius rei disceptationem permittat [1]).

Loco libri V (§ 93), quem Reitzenstein et Kriegshammer ipsum Varronem inseruisse contendunt quique mihi quoque a Varronis captu atque ingenio minime videtur alienus, verbum quam nomen fuisse prius [2]) pronuntiat, quod verba „omnino ultima (sc. ad quae ascendas, i.e. prima) huic rei." Quibus prorsus contrarium exstat dictum (VIII 13): „prius „enim nomen est quam verbum temporale et reliqua poste„rius quam nomen et verbum". Ibi Philoxeni, Cosconi, aliorum grammaticorum sequitur opinionem, hic maxime Stoicorum (cf. Reitzenstein l.l. p. 42 sq.).

Haec fere sunt quae de linguae origine apud Varronem invenimus: pauca, hercle, admodum ac varia. Quae si iuste iudicare volumus, nobiscum reputemus Stoicos philosophos de hac quaestione nequaquam meliores sententias protulisse.

---

[1]) De his rebus paucis iam egit Reitzenstein l.l. p. 26 et 65.

[2]) Insequentibus A. Spengel legit, coll. ipso VIII, 13: „<nomina> „earum rerum radices ut in proxumo libro aperietur". Quam coniecturam summo iure l.l. p. 41, A. 2 Reitzenstein impugnavit. Revera libro VI nusquam aut raro nomina primitivorum verborum fuisse origines, apud Varronem legimus et universus tenor istius loci alio spectat.

Verum hanc culpam Varro numquam purgare poterit, quod stulte ac temere varia collocaverit neque in hoc opere hominem suo arbitrio fretum se praestiterit. Quae cum ita sint, mihi quidem haud magnum inicit scrupulum, quod certo modo nondum exploratum est, quae ipsius Varronis sint quaeque ab aliis mutuatus sit. Nam unicuique patet, ni fallor, nostra haud magni interesse, qualis sententia de linguae vita atque origine fuerit eius viri, quem quidem adeo parum novum vel sibi constantem, denique inquisitionis munere per se paene indignum fuisse supra vidimus. Immo hac tantum re suo adhuc pretio stat, quod saeculi primi a.C. rivos rivulosque in suum alveum colligens aequalium opiniones quamvis truncatas vel decurtatas nobis aperuit.

In hoc rerum statu satis desperato, quod tandem etymologi officium, qui fines secundum Varronem eiusve fontes esse possunt? Facilius perspiciemus, si ordine inverso, quae de verborum generibus deque inquirendi difficultatibus Varro nobiscum communicavit, perlustraverimus.

Quod priusquam aggrediamur, haud scio an animo nobis percipiendum sit, quantae molis tunc temporis fuerit, linguam latinam ratione etymologica explicare, — id quod Varronem minime latuisse mox videbimus. Si quis enim de linguae origine deque vocabulorum creatione notiones habet adeo incertas parumve definitas, si quis vix aut ne vix quidem perspicit, quae notiones homini natura ipsa priores, quae posteriores fuisse debeant, quis fuerit ordo vocabulorum creandorum necnon quatenus iste cum notionum ordine cohaereat, idem si derivandi firmas regulas aut omnino non agnoscit aut maximam partem ignorat neque in coniciendi libidine coercetur ideo, quod mutationes phoneticas non minus quam semasiologicas certis legibus subiectas esse sibi persuasum habeat, — is quin tamquam in deserto duce destitutus infinitam paene coniecturarum

facultatem sibi praesto imminere videat, fieri posse nego. Sic Varro noster ante omnia, ut par est, fortuita soni similitudine cum aliis eiusdem linguae vocabulis nititur atque necessitate adactus eam partem nominis respicit, quae tamen „radicis" appellatione minime digna videtur: ita ut duae litterae, immo una (e.g. *fiscina : ferre* L.L. V 139) sufficiat ad viam ei monstrandam. Id quod restat, Varroni saltem nullius momenti fuisse apparet, cf. Cic. Top. 35—37 et Gell. II 21, 7.

Quibuscum paulisper comparemus hodiernae etymologiae principia. Nos si post duo milia annorum aliquantum profecimus, progressus phoneticis praecipue continentur quaestionibus, qui ipsi linguarum indogermanicarum comparationi debentur. Quod si quis non credat, parumper Gerardi Ioh. Vossi *Etymologicum linguae Latinae* a. 1662 inspiciat: qui si hic illic aliquantulum accuratior est necnon dialectos graecas uberius adhibuit atque nova sed falsa ratione etiam linguas semiticas consuluit, plerumque tamen plane iisdem erroribus, ineptiis, stultitiis indulsit. Sed hodie —!? Hodie si optima nostra etymologica evolveris, quotiens offendes illas „Wurzeletymologiën" quae dicuntur, quot verborum fines, qui, cum similia vel cognata analogiae ratione nondum abunde cognita sint, terminationum vel suffixorum appellationem numquam merentur [1])! Num illa doctrina de „Wurzelerweiterung [2]) und Wurzelvariation", ut dicitur, num varia de s-prothesi [3]) studia aliud quicquam effecerunt — quamvis hoc iam sit magnum — quam ut dispersa collegerint et ordinem ibi inesse demonstraverint, ubi antehac chaos esse videbatur? At vero ea explicare, h. e. causam, originem, rationem eorum aperire nondum

[1]) Contra supra (p. 89) iam dictum est, multa etyma huius temporis, ut *testis* (tri-sti), *cēdo* (ce-sedo, cēzdo) e.a. ad antiquorum compositionis rationem saepe spretam redire.

[2]) Cf. imprimis Per Persson, *Studien zur Lehre von der Wurzelerweiterung und Wurzelvariation*, (Upsala 1891), e.g. p. 2 et 202.

[3]) Cf. ibid. p. 225, et imprimis J. Schrijnen, K.Z. XXXVIII et XXXIX, Z. f. vgl. Spr. XLII, Tijdschr. v. Ned. T. en Lett. XXIII.

valuerunt. Quod ad semasiologiam attinet, leges generales in scriptis Francogallorum Darmesteter et Bréal et imprimis apud Paulium (*Principien der Sprachgeschichte*) et Wundtium (*Völkerpsychologie*) abunde explicatae sunt; sed in singulis rebus et in legibus specialibus, quae ad singulos populos pertinent, multa adhuc supersunt quae luce careant. Attamen in hac quoque doctrina multum profecimus; haec enim magis etiam quam studium soni mutationum apud antiquos neglegebatur, immo potius numquam disciplinae loco habita est.

Qua comparatione instructi nunciam ad nostrum redeamus. Varro variis locis suam etymologiae doctrinam fusius exposuit aut breviter ac strictim tetigit, sc. L.L. V 1—14, cf. etiam V 74, VI 1—3, 39—40, VII 1 et 32. Sed quoniam lectorem ad hos locos revocare non suppetit, brevem expositionem addam.

Varro in duo nostram doctrinam dividit, quae sunt: *a.* ἐτυμολογία, „ubi cur (haecine igitur ea ratio erat, quae linguae officium atque originem evolvebat?) et unde sint „verba scrutantur," *b.* περὶ σημαινομένων, semasiologia, ut nos dicimus, quae quaerit „in qua re vocabulum sit impositum" (L.L. V 2). De his duabus igitur aget, „sed" inquit „exilius „de posteriore." Et de semasiologia profecto nusquam fere apud eum sermo est, cf. infra IV. Nihilominus mutationis semasiologicae in plerisque etymis rationem habuit, ut fit, sed numquam ex his documentis generalem aliquam observationem vel legem deduxit. Persaepe, ut posthac in capite de semasiologia fusius exponemus, notio quaedam falsa de semasiologiae partibus eum in errorem induxit. Itaque in talibus rebus mirum admodum praebetur spectaculum: duae istae scientiae, quae de soni vita quaeque de significationis agit, haud satis per se exstant nimisque sibi invicem immixtae sunt, ita ut latius explicari atque adolescere nequeant. E contra nondum satis adultae sunt quae vitam suam iam agere sustineant. Quaestiones, hercle, difficiles: invicem se fulcirent

necesse [1]) erat, ut liberae exsisterent, liberae esse debebant ut rursus se fulcirent. Ut paucis id illustrem: etyma, quae per soni rationem comprobantur, significatio saepe irrita reddit: saepe nimirum contrarium evenit. Ea demum veriloquia, quae tam soni quam sensus postulatis commendantur, fundamentum esse possunt, quo utraque doctrina nova facta intellegat, leges novas eruat, denique suam per se viam paulisper ire pergat; tum novae eae observationes causae sunt quare paulo ulterius utriusque doctrinae rationes denuo coniungantur necnon in rebus ante obscuris lumen accendant, vinculum et relationem ibi perspicientes, ubi antea omnia soluta et laxa esse videbantur.

Hic igitur gravissimum etymologiae antiquorum detegimus vitium: non intellexerunt paulatim progrediendum esse a certis ad dubia proxima, ut haec fierent certa, deinde ad remotiora. Sic factum est, ut non a vera lingua proficiscerentur, sed, ut puta Stoicos, saepe rationem excogitaverint absurdam, quae cum ipsa lingua nulla omnino affinitate conexa erat (e. g. composita illa apud Platonem et apud Stoicos obvia). Suspicio oriri potest, antiquos non statim ad tales rationes confugisse sed tum demum, cum hac via ab ipsa lingua profecti nihil omnino profecturos se viderent. Quam desperationem etsi optime intellegimus, hoc tamen nobis magnum movet scrupulum, quod iam ab initio talia, apud Platonem, invenimus: ne Plato quidem magnopere gravatus esse videtur — si modo perspexit — in sua doctrina tantum hiatum esse inter ea, quae in lingua cottidie ei ante oculos essent, et suam de iis opinionem [2]).

Atque hodie? Si quis quaeret etymologiae doc-

---

[1]) Haud omnino: nam in utraque doctrina nonnihil etiam ex se et per se evolvi potest, ratione sc. quam dicimus „a priori". Quam rationem antiqui tantum non ignoraverunt. Nimirum, quia unicuique statim obvium est, omnia fere ex ipsius demum linguae materia pro cuiusque linguae natura explicari posse.

[2]) Quamquam Varro in doctrinae expositione hanc etymologiam vulgarem, ut ita dicam, agnoscit (L.L. V 7 in.).

t r i n a e expositionem, quae quidem semasiologiae suum tribuit, vereor ne frustra quaerat. Inspiciat quodvis lexicon etymologicum: ibi saepe inveniet verba tamquam cognata uno loco posita, quorum sensus inter se conciliari non patiantur. Non patiuntur? Hic maxime in eo sumus, ut prorsus negare nequeamus, quae tamen probari multo minus possint.

Primum iam Varronis exemplum hanc nemesin aperit: hic consideratio semasiologica nimis fortis soni condicionem plane neglegit, unde etymum evadit absurdum. Ipsum audiamus: *pertinax* a pertendendo derivatur. Quare? Nostra explicatio (per + tenax, aut a pertinendi significatione obsoleta?) analogorum satis non habebat. Pertinendi verbi, quod maxime in promptu erat, propter s e n s u m ratio non habebatur: hoc quoque insigne est, quod *mutatio* sensus Varronis menti occurrisse non videtur, ubi denuo aliud illud vitium agnoscimus, sc. ut numquam fere [1]) apud antiquos in his rebus ratio historica adhiberetur. Duas in nomine significationes distinguebant, pristinam quam veriloquium revelabat, cui tamen haud ita multum credebant quaeque non magni putabatur momenti, contra praesentem, quae sola firma in etymologi divinationibus et coniecturis potentiam habebat tantam, quanta secundum historicam rationem nullo modo ei debebatur. Itaque s e n s u s c a u s a *pertinax* derivat a „pertendendo".

Iam vero vocabula secundum Varronem (L.L. V 3) *obscuriora* sunt quattuor vel quinque de causis, q.s.:

a. „quod neque omnis impositio verborum exstat." Cuius rei causa est „quod vetustas quasdam delevit" (cf. VI 2 i.f.).

b. (quod) „nec quae exstat, sine mendo omnis imposita."

c. (quod) „nec quae recte est imposita, cuncta manet — „multa enim verba litteris commutatis sunt interpolata."

---

[1]) Cf. V 3 de *hostis* appellatione. Tamen ibi quoque Varro speciem prae se fert, quasi d i f f e r e n t i a m potius quam m u t a t i o n e m significationis agnoverit.

d. (quod) „neque omnis origo est nostrae linguae e ver-„naculis verbis."

e. (quod) „multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante „significabant" id quod *hostis* duabus significationibus illustrat.

Hoc semper monendum videtur, non quinque *classes* verborum obscurorum sed nihil aliud quam obscuritatis [1]) *causas* hoc loco tractari. Namque ipsa verba sub *a* memorata videlicet obscura non sunt neque proprie in species sub *b* et *d* expositas pertinent, quoniam illinc de imponendi ratione, virtutibus mendisque Varro quidem certi nihil aut compererat aut nobis tradidit, hinc verba externa non ea ipsa de causa obscura sunt.

Hic iam nullus dubito, quin Varro ex fonte quodam hauserit et ipse nonnulla addiderit.

Quomodo enim res sese habet? Ut nunc oculis obversantur, classem primam logica ratione secunda sequitur, secundam tertia. Si quarta eodem tenore pergeret, ibi de impositione ageretur, quae adhuc exstat, recte facta est atque integra permansit; quia tamen istic nullam iam obscuritatis causam haberemus, quartam et quintam classem in primo fonte defuisse suspicor. Itaque probabili coniectura Varro hic, ut saepe, fontem parum intellexit et additionibus obscuravit.

Quod sub *e* [2]) est, in primo fonte exstitisse potest; quod tamen duabus de causis Varroni tribuo: nihil enim obstat quominus eum auctorem *e* sub *c* amplexum esse statuamus; porro si aliter credamus, non videmus quare Varro inter tertiam et quintam causam quartam istam inseruerit, quae

---

[1]) Vocabulum „obscurum" redit V 4, VI 40, VII 1 et saepius apud Augustinum *Princ. dialecticae,* ubi o b s c u r u m ab a m b i g u o distinguitur. Dubio procul haec e Stoicorum schola prodierunt.

[2]) Varronis fontem, quem probabiliter sequitur scribens (V 2): „sed exilius de posteriore" (sc. semasiologia), haec non exhibuisse credo doctrinae exemplum; ideo Varro ipse haec addidit l a t i n o exemplo illustrata.

a tota disputatione maxime abhorreat et a Graecorum mente ac lingua cum magis aliena sit, Romanis contra propter linguae et culturae fata semper accomodata [1]) et familiaris fuerit. Hoc etiam exemplo (latino), quod ceteris causis deest, maxime commendari videtur. Fontem illum igitur graecum fuisse suspicor et fortasse a Stoico quodam grammatico scriptum (cf. stoica illa in § 2: *ἐτυμολογία* et *περὶ σημαινομένων*). Quod si rectum fuerit, etiam illud: „multa enim verba e.q.s." Varroni imputandum erit, quia Stoicos talia non nimis curasse vidimus; quae coniectura aliunde quoque per loci tenorem et contextum commendatur.

Si totus hic locus Varronis fuisset, verba mutuata, ni fallor, primo loco collocare debuit, quia haec verborum classis Varroni non iam, ut in Platone et e.g. in etymologico Ioh. Mauropi invenimus, ultimum est refugium sensu carens, sed re vera ea tantum aliena agnoscit, quae ex linguis externis noverat. Prius igitur haec verba segreganda fuerunt, ut deinceps toto animo in linguae vernaculae explicationem incumberet.

Varro haec omnia potius ut magnas propositi difficultates ostenderet exposuit, quam quo earum causas distincte enarraret.

Iam vero id genus vocabula, quorum obscuritatis tertia causa rationem reddit, Varroni omnium maxime etymologiae argumentum esse, non solum ex ipsis veriloquiis apparet, sed magis etiam ex ceteris locis, ubi praecipue de isto genere disseruit. Dicit enim (VI 2): „sic, inquam, consue-„tudo nostra multa declinavit [ut] a vetere ut ab — Loebeso „Liberum, ab Lasibus Lares, quae obruta vetustate ut „potero eruere conabor." Libri VII initio: „— inde," inquit,

---

[1]) N.B. in quarto genere Varronem diserte dicere, verba *e verbis* derivari, de origine autem verborum primorum eum parum cogitare. Steinthal I² p. 343 de his atque talibus disseruit, sententiam suam, ut mihi quidem videtur, nimis urgens.

„post <si> aliqua (sc. littera) dempta est, obscurior fit „voluntas impositoris."

Nunciam alia pauca consideremus, quae ad Varronis etymologiam intellegendam non spernenda sunt. Si Varroni (L.L. VI 2)[1] fides habenda est, ex hoc loco sequitur, tam Stoicos quam Aristarcheos declinationis nomine derivationem et declinationem comprehendisse et Stoicos ipsos derivationis rationem agnovisse. Hoc vero maximi videtur momenti, quod Varro ibidem quasi eadem sint tria haec collocat: derivationem, cui sensus mutatio conexa est (*turdus: turdarius*), soni mutationem, quotiens ex una lingua in alteram vocabulum transit (Lucius > *Λεύκιος*[2])) et tritam mutationem phoneticam in eadem lingua obviam (lases > lares, cf. „declinavit"). Quominus haec omnia Varronis eiusve aequalium iudicio prorsus ac revera eadem fuisse accipiamus, prohibent loci nonnulli, quamvis ex diversis sumpti sint fontibus: cf. VII 14, 18 sqq., et X 76: „— ut transeat mens, vocis commutatio „fit aliqua." Derivatio tamen in L.L. V—VII fontibus mihi semper videtur haud ita multum distare a mutatione semasiologica in eodem verbo facta[3]). Haec quamvis primo obtutu mira videantur, obliviscendum tamen numquam est, imprimis in his libris verborum partes ulteriores plane neglegi itaque multos suffixa ab aliis verborum terminationibus „sensu carentibus" non distinxisse, veri esse simillimum.

Haec omnia expresse declarant, Varronem eiusque aequales non id egisse, ut genesin tam soni quam significationis intellegerent, sed potius ut praesentem rerum sta-

[1]) De his pauca iam apud Steinthalium l.l. I 344 leguntur.

[2]) Num „Lucius" (cf. ann. crit.) et „Quintius" eodem modo quo VIII 81 (cf. Reitzenstein l.l. p. 53) Aelium huius partis auctorem produnt?

[3]) Cf. de Augustini libello infra App. II.

tum bene cognoscerent; dein singula iis explicanda esse videbantur: ex singulis rebus linguae naturam vel leges deducere non curabant.

Quibus consideratis non miramur, Varronem semper fere nomina tractasse substantiva, nonnisi raro verba, pronomina vero et coniunctiones [1]) plane neglexisse. Cuius tamen rei non minus causa fuit Stoicorum doctrinae in Varronis fontibus auctoritas, ita ut secundo tantum loco Philoxenum aliumve recentiorum grammaticorum ducem sequens in l. VI de verbis nonnulla addiderit.

Ceterum verba, quorum ratio habetur in causa obscuritatis prima (v.s.), ideo videlicet memorantur, quia *alia verba* ab iis obscurantur; ipsa nimirum nullius momenti sunt, quoniam Varro „multa" inquit (ap. Gell. I 18, 2) „vetera „illorum ignorantur quod pro his aliis nunc vocabulis utun-„tur." Hic quoque, si qua verba antiqua e latebris eruit, id quod aliquotiens contigit, ea tantum quasi amminicula in explicandis sui temporis verbis adhibet, numquam ipsa per se spectat atque enodare conatur.

De generibus sub *c* et *d* nominatis in proximis capitibus agitur. At in secunda nonnulla habeo quae addere velim de vocabulis, quae non sine mendo imposita sint. Ea in Varronis libris nusquam fere inveniuntur, quod duo probare videtur: *a*. Varronem in exponenda doctrinae ratione ex aliis aptum fuisse, in ea vero adhibenda, in ipsis igitur veriloquiis, magis sui fuisse arbitrii; *b*. eundem de vocabulorum impositionis natura, postulatis haud multum compertum sibi habuisse. Sed nescio an suspicari liceat, sub hac formula aliam Stoicorum divisionem latere. Quidni

[1]) Id quod posthac magis in honore erat: cf. de vocabulo *atque* apud Gell. X 29, qui id sensu: „et" et „quam" explicat tamquam: at que = et ad (id), *καὶ πρὸς ταῦτα*, cui oppositum dicit: „deque". Notabile hercle hoc! Eodem modo de voce *saltem* (Gell. XII 14, 7). Unicum apud Varronem exemplum *fere* (L.L. VII 92) pessimum est.

Varronis fons hac descriptione eadem complexus est, quae Augustinus (v. supra p. 57 sq.) genera *per vicinitatem* et *per contrarium* definivit? Itaque sic mihi rem explico, Stoicos huiusmodi omnia diversis *similitudinis* formis opposuisse atque ea proposuisse tamquam verba male imposita vel, ut Augustinus dicit, abusione[1]) (cf. καταχρηστικῶς apud Proclum v.s.) data.

Quod si rectum est, aliter de infami illa ratione κατὰ ἀντίφρασιν iudicandum videtur. Ita enim haud amplius in ea causas psychologicas dignoscere conabimur neque iam definienda est extensio per analogiae viam facta tropi (apud Quint. VIII 6, 54) illius, qui εἰρωνείαν comprehendit. Sed multo potius antiqui ratione admodum simplici talia consideraverunt *prava* esse vocabula. Hanc autem explicationem etiamsi hodierna linguae psychologia multo etiam minus comprobare possit, tamen ab antiquorum mente minime videtur aliena, quippe quibus impositio (θέσει facta nimirum ab hominibus) eodem viam monstrare deberet.

Quae cum ita sint, quaerendum est quaenam ipsius etymologi sit facultas, quod eius munus.

Nimirum exspectamus id, quod re vera Varro respondet: idem iter retro remetiatur alia regione. Si in superioribus vidimus (v. etiam infra III, IV), quid verba ab origine sua descendentia per temporis cursum patiantur, ab omni parte necesse est, etymologum eadem quasi per scalas notas ascendere.

Ipsum audiamus. „Quom (L.L. V 6) verborum novorum

---

[1]) Augustinus quid in fonte invenerit, non omnino certum est. Constat autem, eum fontem suum confudisse: *abusio* enim invenitur semel in genere, semel in specie (v.s.). Porro *abusionis* et *rei vicinae* figuras in eodem exemplo coniungit. De his rebus Steinthal I² 333, 335A., cf. 356 haud, ut alibi solet, dilucide disputavit, cf. Reitzenstein l.l. p. 74.

„ac veterum discordia omnis [1]) in consuetudine communi quot „modis litterarum commutatio sit facta qui animadverterit, „facilius scrutari origines patietur verborum." Eadem fere alio loco (VII 1): „non reprehendendum igitur in illis, „qui in scrutando verbo litteram adiciunt aut demunt [2]), „quo facilius quid sub ea voce subsit videri possit. Cum „haec amminicula addas ad eruendam voluntatem imposi„toris, tamen l a t e n t multa."

Hic quoque Varro ex stoico fonte (graeco? cf. mentio Myrmecidum VII 1, quae IX 108 (M u rmecidis!) ex graeco (?) fonte redit, et stoicum illud: „latent") hausisse mihi videtur. Attamen eodem modo, quo supra obscuritatis causas exposuit, hoc loco minus id egit, ut rem ipsam referret, quam ut fontis argumento fretus iam ante se purgaret et speciem prudentiae necnon rationis modicae praesumeret. Nam ni omnia me fallunt, huiusmodi argumentatione contra aequalium vituperationes sive praesentes sive futuras se defendit. Multa iam etymologiae suae exempla in Antiquitatibus exhibuerat, quae forsitan multos variis de causis offendissent. Nimirum erant, qui, Stoicorum compositioni addicti, ut ex vocabulis componentibus permultum putare atque recidere deberent, ita melius se Varrone totius vocabuli rationem reddere omnimodo absolutam gloriarentur; erant qui Philoxenum aliosque secuti derivationis doctrina se multo accuratiore Varroni praestare iactarent et scientiam de πάθεσι τῆς φωνῆς severius elaboratam adhiberent; denique scepticos inter eos fuisse credibile est, qui cum vocabuli plus duas vel tres litteras priores observandas esse pronuntiarent, etymologiae disciplinam aut utilitate carere aut rem prorsus desperatam esse autumarent. Forsitan his omnibus se iunxerint Hellenistae (de quibus cf. Lersch III 163 sqq.), quorum iudicio Varro iusto plura verba ex

---

[1]) Interpungendum puto: omnis („hemelsbreed", sc. sit), in con„suetudine communi quot modis e.q.s.. Aliter A. Spengel in editione.

[2]) De quibus v. infra III.

lingua latina explicaret. Id quod facilius credes, ubi videris Varronem (L.L. VI 1) se armare contra „auditorem calum„niantem". Haec confirmantur aliis locis: L.L. VII 3 med., 4, 109, Cic. Top. 37, de Off. I 7, 23, Quint. I 6, 34, Fest. p. 202, 28 M., cf. Gell. III 19.

Ecce ratio ac via, quibus simpliciter assentiamur.

Verum, quaeso, hinc quomodo pergit, quibus regulis atque normis se ductum praedicat? De hisce altum est silentium; revera Augustini illa „obscuritate" nos involutos destituit. Hoc tantum optime sibi compertum habet, conatus suos difficillimos esse — id quod in homine sollerti ac ieiuno, qualis Varro fuit, nihil miramur. Ea quae maiores iam ignorabant — sic loquitur V 5 —, nobis quoque perierunt; quae ne studia quidem *τοῦ βουλομένου* (X et Y? itane explicandum est illud: Muti et Bruti? [1])) nobis restituere poterunt. Iam patiendum non esse decernit ut rebus adversis deterreatur, verum tantummodo ut prospero magis incitetur successu. Nam multa sunt obscura, semitae non tritae. „Igitur de originibus verborum qui multa di„xerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid „nequierit reprehendendum (VII 4 cf. 3) [2]), praesertim quom „dicat etymologice non omnium verborum posse dici causam". Cognata inveniuntur (ex Cosconio?) VI 39, 40.

Attamen haec omnia nullo modo nobis satisfaciunt. Unam rem Varro superioribus addit, ubi dicit (V 4): „in „quo genere verborum aut casu erit illustrius unde videri „possit origo, inde repetam". Cf. exempla insignia ibi allata. Verba igitur [3]) cognata ut consulas, suadet. Quod tamen

---

[1]) Haecine Aelium Stilonem tecte significant, cf. VII 2 de eius carminis Saliaris explicatione?

[2]) Hoc „etymologice" ex graeco statim versum esse videtur. Quem significat illo: „quem imitari e.q.s" in § 4? „Imitari" verbum et tota derivationis expositio Philoxenum vel eiusmodi grammaticum spectare videntur. Tamen exemplum, quod hic invenimus, graecae linguae parum aptum est. Fortasse fuit Aelius.

[3]) Cf. „cognatio" et „societas" verborum L.L. V 13.

consilium donec nullo omnino modo definiatur, in usu auxilio promisso nos privat et a scopo abducit.

Eiusdemmodi cogitatio in libro decimo (§ 56—63) exstat, analogiae postulatis ibi adaptata. In hac re e x u s u plerumque bonas regulas deductas esse, quamvis in earum causis antiqui nimirum longe errarent (cf. § 60), ibi apparet. Etiam L.L. IX 108 tale aliquid redit v e r b o appositum. Tam nominativus singularis quam prima persona singularis verbi ceteris formis prius formatae esse credebantur, eoque errores hominum in hac re apertius monstrabant. Quod dubio procul perniciosum inventum controversiae de analogia et anomalia mala nota imputandum est.

Sed plura proferre nescit: his rebus sapientiae eius fons exhaustus est. Sic eum videmus semasiologiae rationibus parum obstrictum vel ductum, ingentibus circumventum difficultatibus, quae iam ab initio omnem eventum recusare viderentur, nisi semel prudentiam et diligentiam in coniecturis procul haberet. Unica res quae Varronem in hoc rerum statu a gravissimis stultitiis vindicare potuit, sc. intima soni mutationum notitia, Varroni eiusque aequalibus defuit. Aut fatendum fuerat: ignoramus; sin minus, obstacula prudentiae erant repellenda et bonae malaeve fortunae se committerent, necesse erat.

Extremum in hoc capite nobis disserendum est de etymologiae historia vel potius generibus, quae primus Reitzenstein [1]) in claram lucem protulit. Ibi (L.L. V 7 sq.) Varro quattuor explanandi gradus discernit, vel, ut contextus docet, quattuor etymologiae qualitates, quae virtutum ordine dispositae nimirum ea ipsa de causa etiam ordinem chronologicum aperiunt, quamquam id proprie non affectasse videtur. Sunt autem:

a. „infimus (sc. gradus), [in] quo populus etiam venit"; exemplum: *argentifodinae.*

[1]) Cf. Reitzenstein *Gesch. d. gr. Etym.* p. 184 sqq.

b. secundus, quo grammatica descendit [1]) antiqua, quae os„tendit quemadmodum quodque poeta finxerit verbum e.q.s."

c. „tertius gradus, quo philosophia ascendens pervenit „atque ea, quae in consuetudine communi essent, aperire „coepit", e.g. *oppidum, vicus, via.*

d. „quartus, ubi est adytum et initia regis". Hic vero locus corruptus est necdum bene sanatus.

Reitzenstein iam sub *a* loquitur de dividendi ratione Platonis et Stoicorum auctoritate ducta (cf. eius *Gesch. d. gr. Et.* p. 185 A. 2). Stoici tamen sub *c* demum memorantur, Plato nusquam.

Unde prima haec classis prima sumpta sit, diiudicare non ausim : magis grammaticorum olet studia, in eiusdemmodi vocabulis poeticis praecipue versantia, quam Stoicorum [2]).

Secundia et tertia classes Aristarcheos et Stoicos significant, ut Varro diserte affirmat § 9 initio.

Quid vero quarta et ultima classis sibi velit, non liquet. Si eodem tenore Varro pergit, hoc genere vocabula designata esse debent ex philosophia, doctrinis, artibus liberalibus sumpta ut verbis cottidianis et in usu vulgari usitatis opponantur. Reitzenstein tamen coniectura probabili hoc loco Philoxenum cum suis designatos esse censet, suspicans „initia" illa [3]) (§ 8) eadem esse atque *ἀρχάς*, de quibus

---

1) Propriamne significationem habet illud ; *de*scendit ? Cf. „ascendens" in § 8.

2) „Argentifodinae" potius Graecorum videtur exemplum ; sed in graeca lingua compositum vocabulum non est!

3) Si contextus sanus est, non video cur stilo satis *γλαφυρῷ* „initia" post „adytum" non significent *τὰς τελετάς*. Cf. etiam V 12, ubi initia tertio sensu adhibetur. Mirum est, huic generi exempla deesse. Fortasse lacuna statuenda est et „regis" illud exempli pars est, ut puta : „initia < rei, ubi etiam verborum explanatur natura, unde sit rego > „regis," (cf. L.L. X 48) vel : „rex > regi (aut : regis", cf. X 47). Etiam Spengeli coniectura : „initia < Latini > regis" cf. V 9 (vel Latini initia regis ?) ratione palaeographica commendatur, sed argumento caret. Si „regis" verbi forma fuit, hinc suspicari licet, Philoxenum eiusque *ῥηματικόν* Varroni notum fuisse et hoc loco designari.

supra (p. 81 sq.) egi, et „grammaticam antiquam" oppositam fuisse τῇ νέᾳ γραμματικῇ, quo nomine grammatici recentiores distinguebantur. Mihi quidem hoc tantum scrupulum movet, quod appellationem ἀρχαί neque in Philoxeni fragmentis neque in Kleisti disputatione de hoc grammatico confecta usquam inveni, quodque ex Iohannis Mauropi vs. 60, quo niti potest, nihil [1]) aliud efficitur, quam *grammaticos Stoicam rationes imitantes*, non Philoxenum ipsum, hoc verbo usos esse. Deinde si Reitzensteini explanatio verum divinavit, certo quarta haec classis, ut supra demonstravi, quod non ut reliquae verborum genus sed explicationis genus continet, non logica ratione praecedentibus se adiungit.

Hoc certe constat, Varronem timere, ut hunc summum gradum attingat (V 8): „quo si non perveniam, < sinon > [2]) „scientiam, at opinionem aucupabor" (cf. Cic. de Or. II 30 a Spengelio laudatus).

Iam vero Reitzenstein (*Gesch. d. gr. Et.* p. 186, A. 1), Varronem totam hanc quadripartitam divisionem ab alio (Philoxeno) accepisse perhibet. Equidem tamen non video, quare Varro ne hanc quidem generum divisionem ipse animadvertere potuerit: immo ipsa rei inconstantia maxime hanc coniecturam commendare videtur. Nam Aristophanis et Cleanthis studia se nosse expresse dicit (L.L. V 9), neque secius de Chrysippo, de Antipatro, deque Aristophane cum Apollodoro alibi (VI 2) loquitur. Quibus testimoniis ut fidem negemus, causa, quod sciam, nulla est.

Nunc Varro: at, inquit, secundum gradum praeteribo neque poetarum modo verba explanare satis habere, in animo mihi est. Itaque, quod minimum sit, Stoicorum utique explicationem ut in lingua adhibeat latina, operam dabit. Quis tandem, quaeso, haec legens credere potest, eum qui sic loquitur in libris sequentibus aliud nihil fe-

---

[1]) Cf. Reitzenstein *Gesch. d. gr. Et.* p. 186.

[2]) Sicine legendum est? Textus traditus exhibet: „perveniam scien- „tiam ad e.q.s.".

cisse, quam ut magistri etymologicum suo operi insereret paucis dumtaxat additis mutatis omissis.

In proximis autem (V 9, 10) Varro fusius eos culpat, qui poetica modo vocabula explicant, et miro modo poetica antiquis opponens, haec potius se enodaturum praedicat vocabula quae in cottidiano commeatu usurpentur. Hoc quoque Reitzenstein tamquam νέᾳ γραμματικῇ proprium interpretatur, quae notionem defenderet „die Etymologie als Grundlage des Hellenismus" [1]).

Nihilo secius Varronis expositio mihi quidem [2]) hac altercatione multo magis Stoicorum (tertiam) rationem commendare videtur quam quartam istam, ad quam modo se ipsum perventurum omnino desperare videtur.

Itaque expositionis cardo in tertio gradu mihi videtur esse positus. Reitzensteini argumentationem persequenti hinc iam suspicari licet, Aelium Stilonem hac tertia classi significari maxime, itaque eius opinionem de ll. V—VII compositione optime confirmari. In qua re tamen obliviscendum numquam est, sermonem in tribus prioribus gradibus modo esse de etymologiae argumento, non de etymorum ipsa ratione. Quod — ut opinor — alia de causa neminem fugiet, qui semel perspexerit quam immane hiscat intervallum inter veriloquia stoica ac στοιχίζοντα — qualia in Ioh. Mauropo offendimus — et Varronis rationem. Quid quod veri mihi videtur simillimum, Varronem non ipsum stoica illa etymologica graeca penitus cognovisse — sin minus aliter de iis locutus esset, minus iam eorum admiratione motus — sed tantum alterius auctoris opera (latini cuiusdam, Aelii Stilonis?) levem eorum habuisse notitiam.

Verum Philoxeni auctoritatis et studiorum in libris de

---

[1]) Ut ipse dicit: „auf die ἐτυμολογία, die ὀρθότης des im täglichen „Leben üblichen Wortes kommt es an".

[2]) Cf. tertiae classis exempla, quae bene huc quadrant. Ad hoc Varro Alexandrinorum rationem impugnat, quae Stoicorum etymologiam proxime antecedit.

L.L. V—VII ne tenuissimum quidem exstat vestigium [1]). Quae cum ita sint, Reitzensteinio non assentior, qui dicit (*Gesch. d. gr. Et.* p. 186): „so darf man wohl vermuten, „dass Varro die früheste Schrift des Philoxenus benutzt" [2]). Immo ne „opinionis" quidem istius, quam Varro (V 8) se aucupaturum promittit, vel minimum in his libris adhuc detexi — si modo dictum illud ad Philoxeni vel recentiorum grammaticorum studia referendum est.

Hoc modo igitur mihi rem informo. Varro Stoicorum sectatorem, si non omnino, attamen maximam partem, se esse existimabat, praesertim in studii argumento eligendo, minus iam in eorum ratione fideliter adhibenda. Indoli vero ll. de L.L. imputandum esse videtur, — qui multo minus quam e.g. Varronis Antiquitates profuse de singulis agerent rebus — quod nusquam fere (e.g. V 18) Varronem contra rationem Stoicorum invenimus arguentem eamque impugnantem. Si libri II—IV de L.L. et ceteri libri grammatici nobis servati essent, hoc quoque respectu haud ita spissa caligine circumventi essemus.

Varro scilicet is erat, qui melius ex oblatis quaedam recusare, reliqua accipere sciret, ut deinceps comprobata imitaretur atque extenderet, quam rationem novam et suis studiis nondum accommodatam integrae materiae primus ipse adhibere. Itaque Philoxeni studia eum cognita habuisse veri est simillimum; sed quod eiusdemmodi commentationes super lingua latina tunc temporis deessent neque Varro id sibi sumeret, ut ipse primus earum auctor exsisteret, hac re contentus fuit, ut grammaticorum recentiorum tantum mentionem iniceret honorificam, metum suum addens ne talia suas facultates excederent. Maluit igitur rationes illas neo-stoicas, quales ei tunc (Aeli opera) familiares erant,

---

[1]) Nam quod utriusque etymologia interdum simili ratione uti videtur, interdum similes eventus nanciscitur — ut proximo capite videbimus — id nimirum non multum ad hanc rem facit.

[2]) Reitzenstein (*Gesch. d. Gr. Et.* p. 187, A. 1) etiam divisionem in L.L. V 6 Philoxeno tribuit. An recte? V. infra.

corrigere emendare recidere, ita ut sibi a Stoicis haud nimis, ni fallor, discessisse visus sit, revera tamen stoicae doctrinae in eo nihil superfuerit, nisi generalia [1]) vel omnibus etymologiae formis communia.

Itaque tota ista introductio speciem [2]) inconcinnitatis prae se fert: Varro ex ingenti copia eorum, quae per longae vitae assiduitatem collegerat vel legerat, hinc illinc quaedam excerpsit, ita tamen, ut ex iis sententiam s u a m et natura unam construere non valeret. Unde quidque hauserit numquam fortasse penitus perspiciemus. Neque tamen multum nostra refert, quoniam quae Varronis eiusque aequalium sententia de etymologiae historia fuerit, abunde ex hisce effici potest.

---

[1]) Reitzenstein, ubi dicit (*Ioh. Maur.* p. 36): „— Varro der in der „Etymologie nicht stoischen Grundsätzen folgt u.s.w.", nimis incerta pro certis venditare mihi videtur.

Hinc quoque eodem pervenimus, sc. ut Aelium Philoxenum nondum, etymologicum vero graecum aliquod neo-stoicum cognovisse statuamus (cf. imprimis: „initiorum quadrigae" L.L. V 12 cum Ioh. Maur. vs. 49: *τετρακτύος μὲν ἀκρότητες τῶν ὅλων κ.τ.λ.* (*ἄγω*: ago?)). De Philoxeno Aelio nondum noto cf. Reitzenstein l.l. p. 81.

[2]) L.L. V § 10 e.g. nullo modo cum praecedentibus conexa est; Varro tamen per „igitur" duos locos inter se colligare non moratur. Ipsa tripartitio sibi non constans est: credo Varronem, quem tripartita divisione magnopere gaudere scimus, tertiam partem, sc. verba „oblivia" (ab oblivione, cf. Bréal *Essai de sém.* p. 80 A. cf. „oblivio" § 5 et § 3, non ab oblinendo), inseruisse, licet „nostra" et „aliena" hoc tertium genus nullo modo admitterent neque in studiis ea respecturum se diserte autumaret (cf. § 3). Hoc vere est Varronianum.

II. De variis modis vel originibus verborum, quas Varro in lingua latina agnoscit.

1. DE VERBIS MUTUATIS [1].

Duae in hac re partes erunt. Primum enim de rebus generalibus agemus, ut deinde in singulis linguis tam ipsa verba enumeremus quam earum apud Varronem rationem recenseamus.

Hic autem Varronem maxime admirari licet, idque potius, ut apud Varronem saepe res sese habet, ob ea, quae omisit, quam quae fecit. Non enim partibus Hellenistarum [2] (cf. Lersch III 163 sqq.) se adiungit, sed m o d i c e ex linguis externis verba mutuata esse censet. Hellenistae a vi quadam non abstinebant, ut quam plurimas vocabulorum origines ex graeca lingua repeterent. Quod quoniam cum eorum sententia de totius linguae latinae origine arctissime cohaerebat, iis illos tantum opponemus, qui ea ratione repudiata linguam latinam ex

[1]) Nuperrime de hac re egit: A. Ernout, *Les éléments dialectaux du vocabulaire latin* 1909, imprimis p. 30—35 et passim.

[2]) Cf. e.g. famosum illud Hypsicratis: faenerator < φαίνειν et ἔραμαι (?) (Fun. p. 107 sq.) et fragmenta Cloatii Veri (ibid. p. 467-473). Nimirum est ubi bona malave fortuna ducti nescii ad eosdem eventus pervenerint atque hodierna grammatica comparativa, e.g. L.L. V 8?. Idem habes alia de causa in *caesius* etymo: cf. Nigidius Figulus (Gell. II 26, 19: „quasi caelia") et Walde *Etym. Wrtb.* p. 81. Quia tamen boni eventus malae rationis condemnandi sunt et eorum opinio de lingua latina ex graeca orta omnimodo absurda est, etyma quoque huiusmodi nullius sunt pretii.

se explicarent et peregrina vocabula pauca et fortuita esse existimarent. Inter hos duos tertium non datur, ut Lersch ibid. putat, quia iuxta duas istas de lingua latina opiniones tertia non exsistit. Varronem igitur iustum fuisse „Romanistam" (v. infra) constat, qui si ad linguam graecam paulo plura pauciorave rettulit nomina quam Aelius et alii, hoc nihil ad rem nostram.

Haud levis in hac re momenti mihi quidem videtur, quod Varrone auctore lingua latina semper ab aliis accipit, numquam aliis ipsa tribuit. Noli dicere, Varronis operis naturam atque propositam talem rationem plane exigere, quippe quod de vocabulis tantum latinis agat. Nam nusquam vel levissimum in eo invenimus indicium, ubi duo vocabula in diversis linguis congruunt, linguam latinam Varronis arbitrio prius vocabulo usam esse quam linguas adiacentes. Exempli vice locus notissimus (L.L. V 74) fungatur, qui quam latam vim sabinae linguae in hac re aestimarint luculenter ostendit. Attamen ibidem sic loquitur, postquam Sabinos plurima eaque notissima verba dedisse demonstravit: „e quis „nonnulla nomina in utraque lingua habent radices ut „arbores quae in confinio natae in utroque agro serpunt; „potest enim Saturnus hic de alia causa esse dictus atque „in Latinis e.q.s." [1]). Haec quamvis primo insignia videantur, Varronem tamen, ut saepe, male sibi rationem rei reddidisse arbitror. Imago enim radicis si ita ad linguam applicatur, sensu caret; et sequens de Saturni nomine disputatio prorsus alio spectat. Itaque quamquam Romani hoc loco haud diserte a Sabinis accepisse dicuntur, tamen quid sibi voluerit Varro non satis liquet. Hoc utique statuere

[1]) Quemadmodum etiam in his rebus Varro bonae sententiae malam admiscere non vereatur, optime ostendit L.L. V 29: „Tiberis quod „caput extra Latium, si inde nomen quoque exfluit in linguam nostram, nihil ἐτυμολόγον latinum, ut quod oritur ex „Samnio, Volturnus nihil ad latinam linguam: at quod proximum „oppidum ab eo secundum mare Volturnum, ad nos iam [ad latinum] vocabulum ut Tiberini nomen. et colonia enim nostra Volturnum et deus Tiberinus."

licet, Romanos arctum cognationis gradum linguarum italicarum eo tempore nondum perspexisse: si qua vocabula in pluribus linguis eadem inveniebantur, semper altera ab altera ea habere putabantur. Veritas enim si hic paululum illuxisset, statim in permultis verbis communem et veram relationem manifestam reddidisset.

Quae momenta in hac re vim suam exercuerunt? Ipsi populi Romani historiae, ni omnino fallor, multum debetur: Troiani (quos nescio an tunc temporis nonnulli Graecos fuisse crediderint, qui ex Aeolide Italiam versus navigassent) in urbe condenda, Sabini vero et tunc et postea partes gravissimas peregisse putabantur. Quemadmodum haec linguarum permixtio Romanis tunc accepta fuerit, duo Varronis docent fragmenta apud Lyd. de mag. I 5 et II 13 (= fr. 295 [1]) et 296 Fun.), ubi Aeolum, Gallorum, Thuscorum, Etruscorum linguas Varro putasse dicitur eas, „ὧν συγχυθεισῶν ἡ νῦν κρατοῦσα τῶν Ῥωμαίων ἀπετελέσθη φωνή [2]); hoc loco igitur linguae latinae nullus omnino quasi nucleus restat, quae sententia dubio procul Varroni ipsi eiusve aequalibus non imputanda est.

Hac tamen re Varro tam Platoni quam Stoicis praestat, quod non iam adiacentium linguarum auxilio utitur, ut ad hoc quasi ultimum remedium confugiat atque multorum verborum explicatione supersedeat, sed tum demum hanc rationem admittit, cum re vera ea verba in aliis linguis exstare sibi compertum habet. Haud tamen superioribus illis melius neque magis ipsa ista verba explicat, eo contentus si alii linguae verbum aliquod obtrusit [3]). Unde

---

[1]) Hic mire Aeolica auctoritas Euandro et ceteris tribuitur Arcadibus, id quod expedire non potui. Cf. L.L. V 21 et Isid. Or. XVIII 50 de Salio Arcade apud Varronem.

[2]) Fuse de hac re egit E. Norden *de Aelio Stilone Cosconio Varrone gramm. commentatio* p. 8.

[3]) Huiusmodi etyma vocabulorum externorum rarissima sunt: *αἰών* (VI 11 secundum Chrysippum), *θεός* (Tertull. ad nat. 2, 4), *κωμῳδία* (VII 89 „quidam"), *μήν* (L.L. VI 19), *στράγγειν* (L.L. VI 96), *ὗς* (R.R. II 4, 9.)

hoc ita comparatum est? Quiane Varro earum linguarum minorem habebat notitiam, quam qua fretus etiam externa aggredi auderet? Non ita fuit. Verum lingua latina ipsa per se tantopere in mediis Varronis studiis posita erat, ut aliena ei nullius esse momenti viderentur eorumque explicatio aliis maxime incumberet [1]). Idem fere occurrit, quotiens vocabulum aliquod ad antiquius refert, hoc vero ipsum denuo explicare supersedet: cui rationi quadamtenus contraria sunt, quae leguntur L.L. VI 39 (ex Cosconio?) et apud Augustinum (*Princ. dial.* c. 6). Iterum atque iterum hinc Varronis naturam aestimare licet, quae docta hercle, immo doctissima magnam materiam sustineat ipsius materiae gratia, verum ex ea ad ultima penetrare fundamenta multo minus studeat.

Uno exemplo id illustrare liceat. L.L. V 34 *agri* nomen aut ab agendo aut ab ἀγρῷ ducitur. Si usquam, hic in loco fuisse dixeris, paulisper scindere caligines et rationem illam dignoscere quae inter utramque linguam intercederet. Probe tunc temporis sciebant, graecum -ρος et latinum *-er* eadem esse vel potius hoc ab illo „derivatum" esse (cf. Aureli Opilli doctrina, Fun p. 93, fr. 25 et 25a). Haec licet maximam partem in nominibus animadverterentur propriis, tamen nihil obstabat, quominus *agrum* et ἀγρόν ut aequalia componerent. Ad hoc studia illa Stoicorum (de quibus supra p. 135 egimus), quae eadem vel similia in utraque lingua aperire studebant etyma, tale exemplum vehementer delectare debuerat: ut ἀγρόν ἀπὸ τοῦ ἄγειν, eodem modo agrum ab agendo ortum esse. Atque, si quaeras, cur tale quid apud Varronem non inveniatur, huius rei difficultatem dissimulare non possumus, dum fortunam maxime culpamus, quae talia nobis dempserit? Aliter, ut opinor, res se habet. Ad eam conceptionem, quae duas linguas aequales una

---

[1]) Ipse id expresse declaravit (L.L. V 10): „de alienis (sc. dicam), „unde sint." h.e. ex qua lingua, nihil amplius.

matre ortas putet, antiqui numquam [1]) fere attollere se valuerunt. Quod mihi quidem minime mirum videtur reputanti, ut litteras artes totam denique Romanorum culturam, ita linguam quoque latinam semper nimirum visam esse Graecorum natu aliquanto minorem, id quod earum tamquam duarum sororum cognationi maxime nocere debuit, quominus in hominum mente nasceretur. Porro ratio historica vulgo adeo brevis erat adeoque parvum oculis comprehendebat spatium, ut fieri non posset quin antiqui admodum exiguas mutationes phoneticas in usu cottidiano respicientes — aut ea quoque neglegentes —, linguas ita diversas ex una evadere posse neque cogitare auderent neque cogitaverint [2]). Si quis nihilominus antiquos ob eam causam crimine animi hebetati prosequi velit, is in animum inducat nostram demum aetatem, saeculum XIXum, hanc rationem detexisse postquam dilucida linguae sanscriticae structura vel caecos lucem videre coegerit. Quod si secum reputaverit addideritque absque aliarum linguarum auxilio nos etiamnunc in spissa caligine de linguarum graecae et latinae origine versaturos fuisse, non amplius erit quod antiquos criminetur [3]).

Quae cum ita essent, duae tantum viae patebant: aut lingua latina ex graeca tota derivanda erat, quam viam Hellenistae inierunt dum historia romana, ni fallor, suam

---

[1]) Quid sibi velit illud (Cosconi?) „societas (sc. linguae latinae): „cum graeca lingua" (L.L. VI 39), non ab omni parte certum est. Postea demum apud Macrobium (*de diff. etc. in.*) et Isidorum talia dicta invenimus, quae dubio procul ex Bibliis Sacris familiaria iis facta erant. Macrobius ibid. dicit: „Graecae Latinaeque linguae coniunc-„tissimam cognationem natura dedit."

[2]) Situs quoque geographicus hanc coniecturam minime commendabat.

[3]) Notabile est, virum doctissimum C. O. Müller a. 1839 in annotatione ad Fest. Paul p. 14, 7 haec scripsisse: „Lind(emann) id (sc. avilla) ab Indica vocabuli ovis forma awis deducit. At me iudice in „arte etymologica non licet systemata vocalium, quae in diversis „linguis obtinent, inter se miscere"!

rationem firmabant [1]), aut linguae Romanorum nucleum fuisse latinum contendebant — unde iste venisset, non ultra quaerentes —, cui postea linguae adiacentium populorum multum, hercle, tribuissent. Quaecumque igitur linguis graecae et latinae communia erant, ea omnia Romanos a Graecis sumpsisse opinari non verebantur, neque semel — quod videam — Varronis aequalibus vel posterioribus grammaticis scrupulum vel minimum iniectum invenimus, quotiens verba u s i t a t a et c o t t i d i a n i u s u s Romanos a Graecis accepisse putabant. Quasi vero antea Romani locuti non essent neque e.g. pronominibus personalibus opus iis fuisset! (Fortasse uno loco (L.L. VI 40) rectius, v. infra p. 184).

In hac re igitur veram Romanorum mentem invenimus. Contraria duo ibi manum conserebant, quae tamen unum efficerent eventum: R o m a ab omnibus fere populis tributa accipiens at e a d e m simul dona imperii et culturae in omnis spargens partes, Roma nimirum Romanis maxime in medio posita erat. Unde factum est, ut — mirum dictu — cum culturam suam esse iactarent, Romanos ipsius culturae verba, h.e. notas, a populis saepe in inferiore gradu versantibus mutuatos esse dicere non gravarentur: quid ceterae Italiae et orbis terrarum linguae Romanorum linguae nobilissimae et pulcherrimae contulissent, non quid Roma ipsa nationibus subiectis dedisset, hoc erat monstrandum. Hoc optime explanat, quare (v. supra) in iisdem nominibus apud varios populos obviis Varro semper Romanos ab aliis accepisse putet. Enimvero numquam obliviscamur, linguam Romanorum magnam illam vim, quam in linguis „romanis gignendis" exercuit, Varronis aetate vix aut ne vix quidem explicuisse nequedum suum per Europam triumphum inaugurasse, qua de causa vestigia illa postea ita late serpentia

---

[1]) Quemadmodum autem lingua latina temporis cursu in novum istum statum devenisset, qui a graeca lingua tunc temporis tantopere discrepabat, eius quaestionis in schedulis meis neque hic neque alibi ullum vestigium deprehendi.

tunc cuilibet obvia non fuerunt. Si inde a Cicerone admiratores imperii romani identidem gloriabantur, latinam linguam orbis terrarum dominatricem esse, et laeti exclamabant, eam devictorum linguis voluntatem suam imposuisse, ne sic quidem earum linguarum rationem habebant neque, quae isti a Romanis acceperant, nisi strictim tangere dignabantur. Sic saepe gallica in lingua latina notant, latina vero apud Gallos et gallica ipsa per se numquam — id quod nobis magnopere dolendum est, quia istis saeculis lingua gallica nondum emortua erat. (Cf. e.g. G. Dottin *Manuel pour servir à l'étude de l'antiquité celtique* (1906) p. 52 sqq., Pedersen *Vergl. Gramm. d. Kelt. Spr.* 1908, I 1, p. 8).

Ista ratio dubio procul Varroni quoque propria fuit: cf. e.g. Gell. I 18.

De duobus nunciam locis, qui istis quae supra dicta sunt refragari videntur, paucis disseram.

Locus unicus, quo in L.L. (V 101) alius populus vocabulum a Romanis sumpsisse putatur, modo Varronis ingenium perturbatum prodit. Qui, ab Aelio in hac re discrepans (cf. R.R. III 12, 6), Siculos (an Aeoles? cf. R.R. l.l.; Gell. I 18, 2 de hac re nihil diserte dicit) leporem nominare λέπoριν noverat. Aliunde autem sciens — quantum quamque varia homo, qualis Varro fuit, clare aut parum distincte nosse et recordari potuit! — Siculos a Roma oriundos esse, ipse addit: „fortasse hinc illuc tulerunt et „hic reliquerunt id nomen"; quae annotatio quamvis per se sit recta et insignis, tamen totam explicationem Varronis — qui huius rei nescius videtur — irritam reddit!

Alter locus nihil omnino dicit (L.L. V 97). Ibi Varro etyma *irci* et *porci* e lingua sabina repetere videtur (quod = quia, ut in Varronis veriloquiis passim), media vero explicatio *haedi* duas explicationes admittit (sc. quod = quia et quod = id quod). Huic universus loci tenor magis favet; sed quoniam difficile est credere, Varronem hoc uno loco duo talia vocabula non alterum ex altero ortum posuisse et sequens praecedensque etymum aliam rationem ostendit, hic quoque

Varronis usitatam explicationem agnoscere nullus dubito. Duos tandem locos afferre mihi liceat, qui manifeste docent, Varronem tam superioribus quam sequentibus grammaticis magis illi etymologiae generi favisse, quod ex dialectis italicis multa verba explanat: sunt autem Gell. I 18, 2 et XI 1 5—7. Apparet igitur, hanc dialectorum doctrinam Varronis fuisse propriam; postea vero grammaticos saepe ad Aelii rediisse artificium, cui nomen κατὰ ἀντίφρασιν [1]).

Mirum hoc quoque est, quod Aelius Stilo, qui, probabili dumtaxat coniectura, primus etymologicum scripsit linguae latinae, minus verborum graecorum quam Varro in lingua vernacula detexit. Is enim quin saepius quam Varro fontes graecos inspexerit dubitari non potest.

Varro igitur in hac re fuit optimus; eorum enim modo verborum originem peregrinam agnoscit, quae re vera ex litteris aut in usu cottidiano ibi exstare cognoverat. Stoicorum vero compositionem in hac re omnino abnuit teste Velio Longo p. 172, 22 (= frg. 275 Fun.), ubi explicationem hybridam *delirus* = „de + ληρεῖν" ingeniosa coniectura: „de + lira" emendat (!).

Linguae, ad quas Varro eiusve fontes linguae vernaculae vocabula rettulerunt, hae sunt: graeca, hispanica, armenica, syrica. Accedunt dialecti quaedam latinae et linguae Asiae minoris.

A. De vocabulis graecis [2]).

Graeca sunt apud Varronem haec [3]): Aegeum, aestas,

[1]) Hic quoque vidimus, ut supra in *leporis* etymo, Varronem in Antiquitatibus eadem etyma fusius tractasse quam in l.l. de L.L., id quod cum Kriegshammeri disputatione optime convenit, qui Festi etyma saepissime cum Varronis similitudinem quandam habere, at eadem semper fere Varronis in L.L. uberiora esse animadvertit. Infra p. 191. [Cf. nuperrime Goetz l.l. (v.s. p. 115) imprimis p. 72, et 75, 79].

[2]) Nonnulla iam enumeravit Lersch l.l. III 170 sq..

[3]) Ut taedio atque schedis parcerem, locos his vocabulis non an notavi: in indicibus ad L.L., R.R. et apud Funaiolium ind. VII et VIII haec omnia facile invenientur.

aevum (?), ager, alcedo, amias, amphimallum, aper, Apollo, Aprilis, aries (?), arrabo, ars, asbeston, asparagus, bacca, Bacchus, balneum, boopin, bos, Bosporus, bulbum, bulimon, bulla, bumamma, bupaeda, busycon, Caere, Calendae, camilla, canistra, Carsitani, Castor, catinum, cavum, caulis, cerceris, charta, Chilo (Cilo), cilibantum, clamides, clepere, cobius, cochlea, cohors, coliander, comisatio, comiter, comoedia, congerro, cordi (*), crocodilos, cuminum, cyathus, cybium cyliceum, depsere, (delirus), diabathra, dico, domare, domus, donum, dos, edo, epichysis, epicrocum, epityrum, errare, Erythea, exbolae, fagus, feretrum, ferte, Formiae, fratria, gargarissare, gaunacum, gausapa, gignitur, Graecostasis, Graecus, granum (?), gustat, heleosinum, hippopotamios, i, Italia, ite, Kronus, lana, lapathium, Latomiae, latro, lectus, leo, lepestae, lepus, letum, lilium, lingere, lucerna, lytra, macellum, malaxare, malva, malum (μῆλον), mattea, Megalesia, melander, mensa, mensis, menta, milium, mitra, mulgere, muraena, mussare, mutuum, nanus, nemora, nenia (?), nox, novus, nummi, obscaenus (?), ocimum, Oenotria, olea, orchitis, ovis, Paganicae (?), Palatium, palla (? apud Serv. Aen. I 648), pannus, panthera, parapechia, pectere, peripetasmata, peristromata, petorritum, phanclae (?), placenta, poculum, Pollux, polus, polypus, porcus, potio, providere, pulcher (?), puls, putere, puteus (?), querquedula, rapum, rete (?), rosa, runcina, ruta, Sabini, saperdae, scaevola, scalpere, scheda, segestria, serpyllum (?), sibylla, silurus, sirus, sisymbrium, Sorapis, spurii, stagnum, sternere, stips, strangulare, stringere, stribulum, sus, syncerastum, talassio, Tartarus, taurus, tebae, termini, thesaurus, thrion, thynnus, tinguere, tomus, trapetes, triones, triumphare, tropeum, tryblia, Tusci, uraeon, ver, vesper, vitulus, umbo.

Multa et varia huc congesta sunt. Dialectos novit: ionicam (macellum, ver), laconicam (macellum), sicilicam [1])

[1]) De vocabulis Aeolicis et Siciliensibus v. s. p. 126 sq.. Ex L.L. V 151 nimirum minime sequitur, Varronem Siculorum dialectum **ipsum** cognitam habuisse.

(catinum, dos, epityrum, lepus, mutuum, nummi), aeolicam (bulla, malum, puteus, sibylla, tebae), boeoticam (tebae), Samothracae (Casmilus VII 34), cappadociam et thraciam (Sirus).

Varro, optime sibi persuasit una cum rebus permulta rerum nomina ex Graecia imprimis in Italiam venisse: „multa", inquit (L.L. V 131) „post luxuria attulit quorum „vocabula apparet esse graeca", et (X 70): „quod adventicia „pleraque habemus graeca, secutum ut de nothis graecanicos „quoque nominatus haberemus" [1]. Cf. L.L. V 130.

Aliter ex alio fonte eoque meliore — quod nullus dubito — de hac ratione Varro disputat (VI 40): „verborum quae tem„pora adsignificant, ideo locus difficillimus ἔτυμα, quod neque „his fere societas cum graeca lingua, neque verna„cula ea, quorum in partu memoria adfuerit nostra." Quid sibi velit illud „societas cum graeca lingua" non liquet (an ex graeco perperam translatum est: κοινωνία τῆς Ἑλληνικῆς γλώσσης?), sive ex Philoxeno sive ex Cosconio sive aliunde hausit. Numquam saltem alibi tale quid invenimus, et a Varronis ingenio longe abhorret. Duae enim res magni ponderis inibi observantur: a populis externis plerumque ea tantum mutuamur vocabula, quae *res* designant illic *exstantes*, hic *desideratas*; alterum est hoc: sunt res nonnullae, maxime generales, quibus nos quoque hodie nomina indere possumus; at plerae que semper in usu fuerunt, ita ut nominis impositio iam multis annis abhinc facta sit.

Mirum in modum de certis verbis disputat (L.L. VI 96), qui locus dubio procul (v. infr. p. 187) ex fonte (graeco?) haustus est hoc tantum loco in L.L. obvio: „— et potis„simum quae in graeca lingua putant latina". Illud „putant" expresse declarat, Varronem hic non suis viribus

[1]) Hoc libro Varronem alium adhibuisse fontem, manifestum est: *adventicia*, *nothus* (ex fonte graeco? Cf. Reitzenstein *Ioh. Maurop.* p. 64 sq.), *graecanicus*, *nominatus* in l.l. V—VII nusquam, quantum scio, inveniuntur.

nixum esse. Nimis audax videtur coniectura, si hoc tantum loco fretus affirmare velis, fuisse etiam qui graecam linguam a latina derivarent.

In his iam verbis inveniuntur non solum, quae „tota" — ut appellatione utar a grammatica posteriori trita — sunt graeca et in eo statu permanserunt (e.g. *asbeston*, *asparagus*), sed etiam ea, quae parvas maioresve subierunt „mutationes" (e.g. *domare*, *letum*), quaeve radicem tantummodo in lingua graeca habent (e.g. *aestas*). Uno loco (L.L. VII 55) etiam vox defenditur hybrida, ex graeca latinaque partibus conflata: *congerro*.

Iam vero magna vocabulorum varietas coniecturae vehementer refragatur, cuncta ex ipsius Varronis studiis profluxisse. Sine dubio multum contulerunt Hellenistae qui dicuntur (Hypsicrates, Santra, cf. Fun. fr. 8, 9, 11, 12 p. 386 sqq., Cloatius Verus) et Graeci, qui eo ipso tempore Romanorum quoque linguam perscrutari coeperunt, Philoxenus (Fun. p. 443 sqq.), Tyrannio, alii. Forsitan illis etyma debeantur qualia sunt *nox*, *taurus*, *bos* (quae illi suae rationis firmandae causa videlicet primi indagabant), porro historica, ut *Carsitani*, *Caere*, *Formiae*; his autem verba graeca remotiora et notitiae dialectorum graecarum.

Quin Varro quoque suo Marte aliquot addiderit, dubitare non licet. Sic dicit (L.L. V 123): „apud antiquos „scriptores graecos inveni appellari proculi genus *δεπέσταν*, „quare vel inde radices in agrum Sabinum et Romanum „sunt profectae" et (ib. VII 34): „verbum esse graecum „a r b i t r o r, quod apud Callimachum in poematibus eius „inveni" et (V 120): „tryblia et canistra quod putant esse „latina, sunt graeca". Supra iam dictum est, eum (cf. Gell. I 18) Aelio saepius, attamen iusto minus in rebus etymologicis ad linguam graecam recurrisse. Cui vero unumquodque veriloquium graecum tribuendum sit, ad tempus nondum discernere licet nec umquam fortasse licebit.

---

[1]) Fortasse etiam conferatur L.L. VII 67 de voce *stribulo*.

Locis compluribus graeca etymologia secundo loco affertur, quos aliquot Lersch, ut dixi, enumeravit (III 170). Alia eius rei exempla nonnulla addenda sunt [1]). Lersch tamen non quaesivit, quae ipsius Varronis de hac re fuisset opinio. Quam mihi in libris saltem de L.L. non plane expressisse videtur, utique breviorem quam in Antiquitatibus. Itaque certo diiudicare nondum licet. Quamquam non constat, Varronem, qua fuit inconstantia, semper et ubique eidem favisse rationi. At vero magis etiam Varronem verum ac genuinum ibi deprehendimus, ubi incredibili fere socordia non perspexit, *optionem* in huiusmodi rebus *se* facere debere neque semper eam lectoribus benevolis permittere. Legas e.g. VI 6: „nox — quod nocet, nisi quod graece *νύξ* nox". Quomodo fieri potest, exclamamus, ut quis duas opiniones, ne rationes dicam, ita diversas atque sibi contrarias locis compluribus iuxta posuerit, ita ut ex iis alteram eligendi ne periculum quidem fecerit! [2]). Varro homo est alieni magis iudicii quam sui: Hellenistae et Romanistae — quamquam Lersch hanc discrepantiam nimis urgere videtur — uni explicandi rationi iusto magis dediti erant, quae tamen eorum propria erat. Varro inde, qua est iudicii inopia ac ieiunitate, has duas rationes longissime inter se distantes *iungendas* esse sibi persuasit: si in diversis nominibus et causa cognita, rectissime, si in iisdem, ut saepe, pessime, quoniam ita indolem minime acrem vel criticam arguit.

Duo sunt quae me movent, ut Varronem ipsum etymologiae romanae favisse et vulgo, ut Lerschi verbis utar, Romanistam fuisse credam. Cum semper fere (v. supra p. 128) graecam explicationem secundo tantum loco posuit (e.g. L.L. V 120: „a capiendo catinum nominarunt, nisi „quod Siculi dicunt *κάτινον*"), tum tota mentis eius condicio luculenter demonstrat, eiusmodi etymologiam, qualis est: *catinum* $<$ capiendo, in Varrone vere vividam vegetamque fuisse.

---

1) Adde: *lectica* (L.L. V 166), *lucerna* (ib. V 119).

2) De his rebus cf. App. I.

Rursus multa indicia sunt, ni fallor, Varronem non ipsum graecis etymis studiose operam impendisse neque hanc rationem ei valde acceptam fuisse: sin minus, quare „fama" (L.L. VI 55) non graeco φήμη [1]) aequavit, cur „fur" (Gell. I 18, 4 et Non. p. 71 Lindsay) non derivavit a graeco φώρ, poena (L.L. V 177) a graeco ποινή, cur „pugil" non graeco πύξ, „conus" non itidem graecis copiis expedivit? Porro huc spectare mihi videtur, quod paucis exceptis (v. supra 177, 3) nusquam graecum vocabulum enodare aggressus est; quae explicavit, ea procul dubio in fontibus invenit [2]).

Unus tamen locus hodie quoque nobis a ceteris clare distinguitur, L.L. VI 96. Sunt partim verba graeca remotissima, audacia in rebus phoneticis vocabulorum externorum aliunde ignota; formae quoque coniugationis (*ferte, ite, gignitur*) adhibentur. Vaticinium atque praesagium paene studii futuri comparativi: adeo eius loci coniecturae insignissimae sunt. In fine igitur libri Varro librum etymologicum — a Graeco quodam compositum, quale ipsius Philoxeni ῥηματικόν vel eius π. τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου? — adhibuisse videtur, qui etiam a „Cosconi" partibus satis longe discedebat.

Inde efficitur, Varronem ibi demum etymis graecis usum esse, ubi aut res aut nomen eum cogeret, h.e. ubi in fontibus ea inveniret, a quibus recedere non auderet (e.g. nomina piscium et avium), aut ubi propria sua linguae graecae notitia interdum sibi coniecturarum subsidia suppeditaret.

Quae fuerit eius de his rebus cogitandi ratio, iam exposuimus. Penitus sane linguam graecam in latinam aliquando ingruisse credit, qui etiam nomina geographica (cf. *Carsitani* < καρ-σιτος? ap. Macr. Sat. III 18, 5) et populorum (cf. *Sabini*, ap. Fest. p. 343 M.) e graecis radicibus

---

[1]) Ratio phonetica η : ā eum non deterruit, teste Charisio (p. 130, 5. ex Varronis de Gente Pop. Rom. I), ubi φηγός et *fagus* componuntur.

[2]) Per alios de „Athenis in libris sacrorum" audiverat (L.L. V 97)? De „antiquis Graecis" cf. e.g L.L. V 103.

elicere non gravetur. Cf. de *Formiis* fr. *390 (Serv. Aen. VII 695).

Denique observationes phoneticas in his vocibus nusquam addidit una excepta, sc. *tebae* (R.R. III 1, 6), ubi de prima littera agitur. Id quod opinionem nostram sustinere videtur, plerumque haec veriloquia non Varroni ipsi esse tribuenda.

B. De vocabulis sabinis et Samnitium.

Sunt haec [1]: Ancus, arena, Cascus, casinum, catus, ciprus, creperae, crepusculum, Cures, Diana, eloqui, fasena (cf. Fun. fr. 280), febris, februatum, februm, fedus, Feronia, Fides, fircus, Flora, Fortis, Fortuna, Hirpi, Idus (?), Lares, Larunda, lepestae (?), lixula, Lucii, Lucina, Luna, Mamers, Mars, Minerva, multa, novensides, Oenotria, Ops, Pales, pinnae, porcus (?), Quirinus, reloqui, Salus, Sancus, Saturnus, similixulas, Sol, Summanus, tebae, terenus, Terentina, Terminus, Titienses, Titus, Vacuna, Vesta, Vediovis, Volcanus, Volturnus, Vortumnus [2].

Aelium Stilonem iam linguam Sabinorum novisse, supra vidimus (p. 104, 107). Varronem autem hanc partem auxisse per se iam veri simillimum est — Varro Reatinus erat, e Sabinis ipsis oriundus — et probatur tam annotationibus, ut L.L. V 107, 123, R.R. III 1, 6 cf. Fest. p. 326 a., quam eo, quod etyma sabina apud Varronem multo plura, osca vero nequaquam plura quam apud Aelium exstant.

Samnitium linguam Varro ipse noverat, cf. Gell. XI 1, 5, (aliter Fest. p. 142, 21 M.). Mentio eorum fit L.L. V 29, 142, VII 29 et Gell. l.l., ubi utrobique describuntur tamquam „a Sabinis orti" [3].

---

[1]) Partim iam enumerata sunt ab A. Ernout *Les éléments dialectaux du vocabulaire latin* (1909) p. 30 sqq.; R. von Planta *Gramm. d. Osk. Umbr. Dial.* II 589 sqq.

[2]) Cf. quae dixit de Oenotro rege Sabinorum (Serv. Aen. I 532).

[3]) Linguae rusticae mentionem facit: L.L. VII 96, R.R. I 2, 14 et I 48, 2. Ultimo loco rustici Varronis iudicio formam primitivam melius asservaverunt quam urbani!

C. De ceteris linguis.

Ex *Italiae* dialectis hae memorantur: *falisca* (V 162), *lanuvina* (ib. cenaculum), *praenestina* (VI 4, meridies) cf. V 32. *Osca* insuper (asta VII 54, casnar VII 29, seculae „in Campania" V 137, supparus V 131), *lucana* (ursus V 100) [1].

Etrusca nonnulla sunt: atri (VI 29?), atrium, baltea (Char. p. 77,5), Caelius, Consentes, Complices, Idus, Lars, Luceres, Lucii (?), Lucumones, Popanon (?), Ramnes, Subulo, Tiberis (?), Titienses, urbes (urvum?), Vortumnus.

Gallica: Alpes, opulus [2], petorritum, reno, sagum (cf. fr. 296 Fun.).

Hispanica: bacca (?), Bacchus, lancea (cf. Gell. XV 30, 7), spartum.

Illyricum: Varro [3].

Syriacum: camelus (V 100).

Armenicum: tigris.

Aegyptium: Serapis (? August. *civ. dei* 18, 5).

Quod ad has linguas attinet, unde quidque Varro hauserit, semper ignorabitur. Hoc tantum moneo, vocabula tusca maximam partem res designare historicas. Si L.L. V 55 i.f. cum ib. VII 35 conferas, probabili coniectura inde efficitur, Varronem ipsum linguam etruscam non intellexisse [4]; ipse contextus id docet: alibi enim semper fere se „legisse" vel „invenisse" testatur. Accedit quod dubio procul plura

---

[1]) Linguae umbricae apud Varronem nondum exstare vocabula, Wölfflin iam animadvertit in *Archiv f. lat. Lex.* VIII 421 sqq., ubi monstrat, Verrium Flaccum demum ab ea lingua auxilium petivisse. Insignis coniectura in Varrone exstat, ubi (VII 29) *Casinum*, quod „nostri etiam nunc f o r u m v e t u s appellant", cum adiectivo *cascus* = „vetus" coniungit.

[2]) De hoc vocabulo cf. G. Dottin, l.l. (v. supra p. 181) p. 64. Aliter Walde *Etym. Wrtb.* s.v.

[3]) Hoc nomen celticum esse pronuntiat Laur. Lyd. d e m a g i s t r. I 12, cf. Dottin ib. p. 68.

[4]) Cf. quae dicit Inc. de praenom. 5 de nomine Luci (ex Varrone sumpta? Fun. ann. p. 332 et frg. 333. Cf. Varro L.L. IX 60).

invenisset tusca vocabula, praesertim nomina, si ipse in lingua ea transtiberina scrutari potuisset. Quaeritur num lingua etrusca iam tunc paene emortua [1]) fuerit propter linguae et morum romanorum invasionem? Varro ipse nonnisi LL. V 143 de hac re loquitur („Etrusco ritu"). Quid sibi velit ille „liber Etruscarum", qui Flacco cuidam (Verrio?) tribuitur (cf. Schol. Veron. Aen. X 183), non constat.

Gallica et hispanica admodum pauca sunt; omnia fere vocabula, qualia Varro, cum bello civili in iis regionibus esset, audire potuerit, immo debuerit: nomina locorum vel rerum militarium. Quod firmare videntur Varronis verba apud Gell. XVII 3, 4.

Quoniam etiam osca exigua et fortuita sunt, cuncta iam monere videntur ut credamus, Varronem ipsum sua sponte ex linguis externis magnum fructum ad studia etymologica promovenda non sperasse neque studiose ac naviter operam in hac re insumpsisse.

---

2. DE ONOMATOPOEIA.

Verba πεποιημένα apud Varronem exstant haec: anser, balare, bibere, bos, bovare, bubo, bucinator, clamare, columba, corvus, crepare, cuculus, eu, euax, fari, fervere, fremere, fringuttis, fritinni (?), gallina, gannire, gemere, grundi (?), hehae, heiulitare, heu, hinnitus, irundo, iubilare, latrare, mugire, murmurari, mussare, ovis, pavo, pipulo, puls, quiritare, rana, rudere, sorbere, sus, taurus, tremo, vagire, ulula, ululare, upupa, ursus.

Elocutiones quales sunt: „e similitudine vocis, sonitus" et alia eiusmodi, et alibi invenies et L.L. V 75, VI 45, 67, R.R. II 1, 7, vel ut dicit Varro apud Gell. XVI 17, 2 „exprimente verbo sonum vocis recentis".

[1]) Cf. e.g. Pauly—Wiss. VI 1, p. 722 i.f. (Hülsen) et 753, 1 sqq. (Körte); etiam Skutsch ib. 770 sqq..

Itaque primitus nostra ratio adhibetur in animalibus quae vocem edunt, q.s. aves (L.L. V 75), aquatilia (V 78), terrestria (ursus, V 100), postremo etiam in hominibus (VI 75). Nonnumquam animalium soni ad homines transeunt: „multa ab animalium vocibus tralata in homines, partim „quae sunt aperta, partim obscura" (ib. VII 103).

Secundo loco ipsa quoque sonitus nomina et verba hoc modo explicantur, cf. L.L. VI 67 et VII 103 sqq., etiam sonitus humani, ib. VI 45 et 84. Inanimae quoque alicuius rei nomen hinc originem poscit: *puls* (V 105), per tralationem omnimodo rectam. Varro igitur alteram illam speciem onomatopoeiae, „verklanking" dico, quae apud Stoicos magnas partes agit, non agnoscit: certe in genuinis eius etymis non adest. Quae quin ei nimis abstrusa neque satis usitata fuerit, numquam dubitabo [1].

Fusius doctrinam suam exposuit ap. Gell. XVI 17, L.L. VI 45, et R.R. II 1, 7 (quem locum si cum L.L. VII 103 contuleris, rursus idem senties, Varronem in libris de L.L. brevius eadem tractasse quam in ceteris operibus). Itaque sonus est naturalis, ipse quem audimus, unde appellationes originem ducant. Quare Varro recte agnovit, revera ubique (et semper?) verba τετυγμένα inter se similia esse debere: „possunt in Latio quoque ut in Graecia ab suis vocibus „haec eadem ficta" (L. L. V 96) et „Ursi Lucana origo „vel, unde illi, nostri ab ipsius voce" (ib. 100). Quamquam concedere videtur (R.R. II 1, 7), homines nonnumquam lapsos esse in sono recte audiendo.

Exempla perlustrantes animadvertere possumus hanc doctrinam apud Varronem eiusque aequales nondum obsoletam neque tantummodo translaticiam esse verum vegetam etiamtunc et bene intellectam. Immo nimis bene,

[1]) V. supra p. 55. Eximium huius generis habemus exemplum (Paul. p. 366): „tippula bestiolae genus sex pedis habentis, sed tantae levi„tatis, ut super aquam currens non desidat" (belgico sermone: „schrijverke"?). Romani huius originem per onomatopoeiam explicari posse non perspexerunt! Cf. tamen Walde *Etym. Wrtb.* p. 628.

i.e. male — nempe iusto frequentius — hac ratione ita facili usi sunt. Quam cito quamque parvo contenti fuerint, illud „balare" (R.R. l.l.) et exempla L.L. V 75 plane demonstrant. Ubi ordo is est, qui neque alphabeticus sit neque ipsarum avium dispositionem quandam patefaciat. At hoc certum videtur, si sonum eorum respicias, vocabula: *pavo*, *anser*, *gallina*, *columba* Varronis eiusve auctoris iudicio iustae onomatopoeiae condicionibus minus satis facere quam nomina superiora. Hac in re certe eius acumen approbare non recusabimus.

---

3. DE SIMILITUDINE.

De similitudine non est cur fusius disseram. Duabus formis occurrit q.s.: *a.* positiva, quae passim invenitur: e.g. *cuniculi*[1]), *mundus*, vel graeca: *bulla*; pleraque vocabula mutuata alio modo huc inserenda sunt, *b.* negativa, figura quae dicitur κατὰ ἀντίφρασιν. Sunt perpauca: angi portus, bellum, caelum, ferentarium (?), foedus (?), lucus (?), multa (? V 177), prata, sera, vallum.

Modus prior semasiologica tantum nititur mutatione vel translatione ut ipse dicit (V 32): „ea (sc. Europae loca) „fere nominata aut translaticio nomine ab hominibus ut „Sabini et Lucani, aut declinato ab hominibus ut Apulia et „Latium, < aut > utrumque ut Etruria et Tusci." Hac in re magnam quandam — neque eam fortuitam? — deprehendimus affinitatem cum schematis ab Augustino in libello cui nomen *Principia dialecticae* (vid. App. II) expositis, ita tamen, ut nesciam an in hoc opusculo *consulto* translationi semasiologicae iuncta sit differentia phonetica (in exemplo *horreum*: *hordeum*), quae in L.L. deest.

Inter etyma per figuram κατὰ ἀντίφρασιν explicata unum tantum verum certumque exstat: *vallum* et parva mutatione

---

[1]) De his cf. in capite de semasiologia (IV).

soni etiam: prata, nisi potius hoc loco (L.L. V 41, cf. R.R. I 7, 10) „abusionis" figuram Varro significat. Nusquam de figura illa apud Varronem agitur, ita ut manifestum esse videatur, eum huiusmodi explicationi parum favisse. Perquam inde memorabilis est observatio eius critica (V 18 sq.), ubi videas, quomodo se habeat erga Aelium Stilonem et hanc eius figuram saepius usitatam [1]).

4. DE COMPOSITIONE.

Apud Varronem haec exempla exstant vel certa vel dubia: adagio (?), adoreum, aedificium, aeditu(m)us, Aequimelium, aequinoctium, Agrippa, *αἰών*, ambiegna (?), ambitus (? et actus? iter? ut Steinthal l.l. I² 354), amens, amineum, Amiternini, anas, ancilia, anfractum, angiportus, Antemnae, aratrum (?), Argiletum, armilustrium, artifex, asparagus (?), assipondium, auceps, aurora (?), bes, bicessis (?), bigae, bucinator, caccabum, capillus (?), Carsitani (?), centussis, circenses, comminisci, concordia, congerro, consors, copis, crusta (?), cucumeres, cura, decussis, (delirus), delubrum, denarius (?), deunx, dextans, Diana (L.L. V 68, aliter ap. Prob. Verg. buc. VI 31), diobolares, dodrans, Domiduca, dupondius, ecurria, elixum, extemplo, farrago (?), famigerabile, ficedula (?), Fordicidia, frequens (?), fundolum (?), germanus, graguli (?), gralator (?), (h)arispex, inops, Interamna, iter (?), Iterduca, iudicare, iuglandes, Iuno (?), lapicidae, Libya (?), liticines, locupletes, Luperca, lusciniola (?), mancipium, manipulus, manupretium, mantelium (?), memoria, Mercurius, meridies, merula, Mircurius(?), motacilla (?), municeps, nasturcium (cf. Walde s.v.), nequam, nexum, noctiluca, nolo, nonussis, novendialis, obscaenus, ocrea, Opitulus, Opiter, (cf. Walde s.v. et Fun. ad frg. 323), oppidum (?), ornatus, Panda, panificium, panu-

[1]) De hoc loco iam Reitzenstein *Ioh. Maur. etc.* p. 37.

vellium, pauper, pelvis, pontifices, prodigium, putilucos, quadrans, quaerere, reciprocare, recordari, rienes, sacellum (ap. Don. Ad. 576), scrupipeda, selibra, semis, semita, semodius, semuncia, septimontium, septunx, (sepulchrum), Serapis, sestertius, sextans etc., Sibylla, simbella, solstitium, stillicidium, stipendium, subtemen, Subura, succidia, terminus (?), teruncius, tibicines, tragoedia, tressis, tricessis, triens, tripalles, tubicines, tubulustrium, vehemens (?), verbum (?), vervex (?), vestibulum, vestigator (?), vestispica, vicessis (?), vindemia(tor), vineta (?), volpes (ex Aelio), vomer(?).

De compositionis usu apud Varronem non multum habeo quod addam. Varro haec duo (compositionis sc. et derivationis) genera clare distinxit, ubi dicit (VI 55): „hinc „(a fando sc.) etiam famigerabile et sic compositicia alia „item ut declinata multa, in quo et fatuus et fatuae". Cf. L.L. VIII 61 in..

In verbis compositis apud Varronem multos gradus discernere possumus, q.s.:

a. ea quae unusquisque composita statim agnoscit (e.g. aedificium, diobolares, Domiduca, Fordicidia, Septimontium).

b. quae in Varronis fontibus compositione fortasse explicabantur, quaeve hoc modo enodari possunt, in quibus tamen de Varronis opinione certi nihil statuere liceat: e.g. crusta, ficedula, merula.

c. quae quamquam compositionis rationem haud omnino exigere videntur, Varro tamen manifesto hoc modo explanat: e.g. nexum, ocrea, pelvis, quaerere, semita [1]).

Inter haec sine dubio multa sunt, quae Aelio Stiloni debentur: *pelvis* et alia eiusdemmodi nobis *volpes* et *lepus* etyma Aeliana in mentem revocant [2]). At quid

[1]) De universa ratione cf. (ex alio fonte) L.L. VIII 61 et 62, ubi idem exemplum habes quod L.L. V 7 redit. Ad quantam audaciam Varro (eiusve fons) pervenerit videmus ex *elixum* veriloquio (V 109): e-li-x-u (e liquore — ex iure ?).

[2]) Sic dubio procul — si modo Varroni tribuendum est — *Mercurius* < „medius currens" (Augnst. C.D. VII 14, 291, 32). Haecine ratio *d*: *r* veriloquii ex dialecto originem prodit (cf. Umbr. *d*. inter vocales

nobis cogitandum est de inepto illo (V 129): „ornatus „quasi ab ore natus" [1]). Iam vix a nobis impetrabimus, ut Varronem talia in librum suum admisisse credamus; de suo eum hoc protulisse, non adducor ut credam: Aeli potius ingenium hoc loco detegere mihi videor.

Attamen exempla stoicae illius compositionis apud Varronem perrara exstare fatendum est. Quae ibi insunt aut aliis tribuenda aut alio modo explicanda videntur. Sic (X 24, cf. VIII 55) in vocabulo *bigae* viam ei monstravit forma altera: „biiugis, biugis". Eodem modo (V 172) *deunx*, quod per se dilucidum erat, eum adduxit ad *dextans* (= de-sextans), hoc autem ad *dodrans* (= de-quadrans), ita ut extremum perveniret ad: *bes* = „des" [2]) (ex „de-trie(n)s"). Hoc *bes* denuo demonstrat, quantopere in etymologia significatio quam res phonetica pluris habita sit [3]). Profecto absque superioribus veriloquiis etymum tantae audaciae in re phonetica numquam investigasset.

Obiter etiam moneo, plurimas enodationes hac ratione fretas priorem partem ponere praepositionem aliquam: e.g. amineum, concordia, elixum, extemplo, alia, quod genus a Stoicorum doctrina longius iam recedit.

Hoc quoque quaerere licet, num Varro forte huic explicationi per priorem vitae partem magis faverit. Indicia haud

---

> ῥ)? „Ideo et mercibus praeesse" Augustinus dicit. Quare igitur non: „eum, qui merces curat" interpretatur? Quiane propter graecam significationem: Ἑρμῆς: ἑρμηνεία = sermo, illud Mercuri officium posterius videbatur? Similiter mirum est, Varronem (L.L. VII 9) non „cortumionem" compositionis ratione explicasse.

[1]) Hic quoque certae tantum formae explicantur, id quod saepe fit: ratio inter *ornare* et *ornatum* eos non latebat, sed nihil eam morabantur. Contrarium habes in *Lupercae* etymo Varroniano ap. Arnob. IV 3, 143 B.: „quod — pepercit lupa."

[2]) De hoc vocabulo cf. Walde s.v. *bes*. Aliter Solmsen *Verslehre* p. 212.

[3]) Nonne in voce: *ecurria* (= equus — currere) L.L. VI 13 altera forma „equirria" ei amminiculo fuit? De *cura* (VI 46) et aliis huiusmodi cf. Reitzensteini locus saepius laudatus, *Ioh. Maur.* etc. p. 35 et supra p. 135. Suspicor, talia quoque Varronem e fonte hausisse, qui his studiis totum se daret.

scio an loci sint, qualem habes apud Serv. Aen. V 412: „germanus est secundum Varronem in *libris de gradibus*, de „eadem genetrice manans, non, ut multi dicunt, de „eodem germine", id quod non minus insignem Varronis etymologiae ostendit notam [1]). Cf. etiam Varro in *Pappo* apud Non. p. 18 Lind. de voce: *nasturcium*.

Omnibus compositionis exemplis perlustratis hoc statuere licet, *ipsum* Varronem hac ratione permodice usum esse, stoico vero modo numquam; quae talia habet, aliis debet, saepe laudato nomine.

Varronem re vera suae sententiae convenienter loquentem deprehendimus, ubi dicit (VI 75): „nec sine canendo „tibicines dicti"; i.e. Varro affirmat, in hoc nomine non, ut assolet, priorem modo partem significationem definire, sed extremam quoque vim suam in ea exercere.

---

5. DE DERIVATIONE.

Hoc demum artificio Varronem cognoscimus αὐτότατον, hic corpus, ut ita dicam, artis eius etymologicae positum est, hic modus quem aliis omnibus praeponebat, in quem ipse plurimum contulit, multo quam alibi minus fontibus exemplisve alienis obnoxius.

Quandoquidem vero soni et significationis condiciones singulatim tractabimus, hoc loco ea tantum nos in medium proferre par est, quae non ibi quoque locum obtinebunt.

A. De suffixis.

Varronem ostendimus Stoicorum praesertim rationem, quae compositione continebatur, per se adhibere noluisse, etiamsi haec facultatem ei datura fuisset, qua totius paene vocabuli rationem redderet. Itaque solum remedium, quo Varro infinitum saepe numerum enodationum obviarum in minorem redigere potuisset, in eo positum erat, ut

[1]) Hoc videlicet non minus revera „Aelianum" fuisse potest. Idem habes in *panuvellii* etym., L.L. V 114.

partes suffixas necnon terminationes verborum penitus nosse studuisset. Absque hac doctrina illuc eum delabi necesse erat, quo revera delapsus est, in etymologiam scilicet, quae priores (1—4) litteras tantummodo consuleret, ceteras vero neglegeret tamquam supervacaneas.

De suffixis autem ita comparatum est, ut in libris posterioribus (imprimis v. L.L. VIII 54—63 et IX 74) in controversia de anomalia an analogia talia praecipue in contentionem vocaret, ista et istorum proportiones magna cura atque diligentia tractata sint, in libris vero etymologicis miro admodum modo verborum terminationum ratio omnino habita non sit, immo spissa videatur obversari caligo [1]). Quae discrepantia satis iam ostendit fontes duarum istarum Varronis triadum prorsus fuisse diversos.

Iam videamus, quomodo res sese habeat in l.l. V—VII. Varro dicit (V 128): „*armarium* et *armamentarium* ab eadem „origine sed d e c l i n a t a aliter (sc. quam *arca* ab arcendo)." Haec verba autem non tam ad ipsa quae nos dicimus suffixa pertinent quam ad differentiam *m* : *c* [2]).

Uno tantummodo loco Varronem loquentem de huiusmodi rebus inveni (V 82): „reliqui quod minores quam „hi magistri (sc. equitum), dicti magistratus, ut ab albo „albatus". De differentia duarum declinationum, quam Varro non respexit, nunc sileo. At significantiam nominis

---

[1]) Suam de proportione doctrinam exponit L.L. X 37 et 38, quam quomodo adhibeat videmus ex L.L. VII 31, 39, 66 i.f., VIII 57, ubi „proportio" nominatur, et X 17. Etiam in rebus phoneticis raro quidem sic grassatur: cf. L.L. VII 87, Gell. III 14, 6 sq., et Inc. de praen. 5 (fr. 330 Fun.).

Iterum moneo, Varronem discrepantiam derivationis suffixorum et declinationis terminationum non severius discernere, quam sensus mutationem „internam" (in eadem vocabuli forma) ab „externa" (in vocabuli forma q u o v i s m o d o aucta, deminuta, a pristino statu utique remota).

[2]) „Declinata = derivata", cf. Reitzenstein l.l. p. 81 et saepe alibi, et Varro e.g. L.L. V 32 e.a. (v. supra).

et suffixi vim nequaquam perspexit, ita ut proportionem adhibitam haud minus culpare quam laudare possimus.

Alibi vero ex eius verbis manifestum videtur — id quod „a priori" iam veri simile erat —, eum communi sensu multarum terminationum vim atque significationem tenuisse, neque tamen in iis haesisse studiis magis theoreticis. Pauca cito exempla: „L.L. V 174 *(libella)* – ex argento *parvo*"; V 88: „*(manipulus)* — *minima* manus" ubi — „ulus" sensu deminutivo accipitur; idem habes s.v. *patena* (V 120), *trulla* (V 118 cf. „pusilla") et *fundolum* [1]) (V 111), quod Varro recte deminutivum esse credit (cf. eius explicatio). Aliis rursus locis ne hoc quidem dicere possumus, cf. R.R. I 31, 4, ubi in voce *capreoli* nihil deminutivi suspicari videtur [2]). Facile sed longum est, has observationes innumera paene exemplorum firmare serie. Eodem modo sustinere possumus, quamvis vix credibile videatur, Varronem in vocabulis *dictator* (V 82) et *tributum* (V 181) nomen agentis et participium verborum, de quibus agitur, non agnovisse [3]).

Quamquam hoc non ab omni parte certum est. Etenim Varro saepenumero ita agere videtur, ut in verbo derivato non laudet verbum primitivum, verum hoc superfluum ducens statim utriusque etymum proferat: cf. e.g. *lingua* (ap. Lact. *de opif. dei* 10, 16, a ligando), *cultus* (L.L. V 36 a coalescendo), *molae* (V 138 a molliendo), *sartum* (VI 64 a serie), *venator* (V 94 a ventu) [4]). Inde fit (aut

[1]) Idem fortasse subest apud Cassiod. *de art. et disc.* 6, p. 560 (Fun. fr. 221): „Varro libro, quem *de astrologia* conscripsit, stellam „commemorat ab stando dictam": stella = dat kleine flikkerende stille ding.

[2]) Cf. etiam *Puteoli* (V 25), *Puticuli* (ib.), *Sirpiculae* (V 137).

[3]) Quantopere hoc sit mirum, ostendit *messis* veriloquium, quod (R.R. I 50, 1 et 2) primo (in fonte?) cum metendo coniungitur, in fine tamen aliter explicatur: „a quo medio (u.v.) messem dictam puto." Nonne in tali homine omnimodo desperandum est? Ingenium hercle vituperatione maius!

[4]) Cf. *imperator* et *legati* (V 87).

per fontes diversos (?), ut ratio vocabulorum *palla : pallium*, (Serv. Aen. I 648 et L.L. V 133), *rica : ricinium* (V 130, 132), *sacrum* : *sacellum* (Don. Ad. 576, cf. s.v. *patena* V 120 aliter) Varronem mirum in modum penitus fugere *videatur*. Accedit quod etyma evidentia, qualia habes L.L. VI 96 (e.g. lingere : λιχμᾶσθαι [χ cum sono nasali !], gignitur : γίγνεται), non eo tendebant, ut diligentiam in verbi partibus extremis apud Varronem eiusque aequales augerent.

B. *De priore verbi parte.*

Quae cum ita sint, Varro spem omnem diligentiamque in priore verbi parte collocavit, in „radice", ut locis compluribus dicit, cf. V 13, 93, 123, VII 28, 35, VIII 53, et per imaginem V 74 et VII 4.

Quomodo autem, si ipsa etyma consulimus, Varro eiusve aequales in his difficultatibus se gesserunt?

Haud omnes vocabuli formas aeque originem vocabuli ostendere Varro dixit; saepe igitur eas formas eligit quae clarius viam monstrent [1]). Rem quoque contrariam aliquando offendimus, ubi *ex* certis formis alienis explicationem petat: e.g. *corbes* (< cor*rueb*ant, V 139; imperfecto hic opus *non* est), *culcita* (< inculcando V 167), *dictator* (< dicebatur? VI 61), *sulcus* (< sustulit V 39), *tribus* (= „tribus" dat. abl. V 56, cf. 35). Etiam *arma* (< arcemus V 115)?

Porro si Varronis observationes ad rem phoneticam pertinentes consulueris (v. infra p. 209), semper et ubique tres tantum litteras priores (exceptis duobus casibus R.R. I 31, 3 et Gell. III 16, 10) eum respexisse animadvertes, quod idem etiam ostendunt Varronis *ipsa etyma*, quae ad hunc finem omnia in tabulas redegi.

His rebus suam divinandi libertatem paulo arctius terminatam, ceteroquin summe arbitrariam, exercet, nullis insuper legibus vel potius inclinationibus ductus et soli bonae malaeve fortunae commissus.

---

[1]) V. supra p. 168, et 195, A. 1 et e.g. L.L. V 66 (*Diovis*).

Ut Iohannes Mauropus, ita noster quoque — sed in initio solum vocabulorum — certas litterarum coniunctiones tamquam verborum reliquias repraesentare gaudet: e.g. f e r o in *fratres* (V 85) et *fruges* (V 104), g e r o in *Gracchus* (Ter. Scaur. p. 20, 2 et Charis. p. 82, 7), *gradus* (V 168), *granum* (R.R. I 48, 2; aliter L.L. V 105).

Hoc loco denuo rem commemoro, quae mihi quidem permagni videtur esse momenti. Distantia scilicet magna interest inter doctrinam grammaticalem absolutam sibique consciam et sensum quendam communem vel obscuram quodammodo notitiam atque usu dumtaxat acquisitam, tam in soni condicione quam in significationis atque partium orationis natura. Sic in Varrone quoque comparatum est, ut in ll. V—VII illius d o c t r i n a e nullum exstet vestigium, alterum vero nulla constantia ac sine ratione certa interdum in Varronis cogitationibus praevalere manifestum sit. Conferantur e.g. *falces* (L.L. V 137) et *falli* (VI 55), illud a „farre", hoc a „fari"; quorum Varro prius observatione phonetica (de $r > l$ mutatione) ornat, posterius non commentatur, cuius rei causa dubio procul in eo posita est, quod sensit *r* illud in „fari" non eadem condicione teneri atque in „farre", neque illic aeque firme id cum verbi i n i t i o coniunctum esse bene intellexit.

Verumtamen hoc non ita certum est, ut in omnibus rebus quid Varro cogitarit, identidem clare discernere possimus. Apud Serv. Dan. Buc. VIII 12, ut unum solum exemplum afferam, legimus: „— quoniam apud veteres „a laude habuit nomen (sc. laurus), nam laudum dicebant", quod etymum sequentia Varroni vindicant. Apud Servium igitur observationis phoneticae nihil invenimus. Oritur quaestio, utrum Varro nomen explicaverit mutatione $d < r$, an solum *lau-* ei hac in re satisfecerit. Nempe eum talia non curasse, non est cur contendamus.

Porro in eiusmodi quaestionibus res phoneticae et res semasiologicae inter se proportione quadam tenentur, quae in homine sibi constanti certa fere atque firma est, in

Varrone vero nusquam non vacillet atque fluctuet. Quodsi quis huius Varronis inconcinnitatis causam ex parte fontes diversos ponere velit, vereor ut ex istius thesis elaboratione multum proficiat. Immo culpa in Varrone ipso posita est neque quid in quoque vocabulo eum moverit, umquam cognoscere poterimus, ... neque in huiusmodi viro, ut mihi quidem videtur, operae pretium est. Quod iamiam paucis illustrare volo.

Saepe fit, ut rem phoneticam satis vel nimium in eius cogitationibus valuisse iudicemus.

Magnae in his rebus diligentiae documenta sunt explicationes: *Aprilis* (VI 33) et *pontifices* (V 83). Hinc forsitan intellegendum sit stultum illud: „quod e terra ruitur, „ruapa [1], unde rapa" (V 108); quod *a* in *rapa* longum esset, breve in *rapiendo*, *u* istam hypotheticam ponere maluit et deinde per syncopen tollere, et *a* longum suffixo [2], cuius rationem non reddendam sibi crederet, tribuere. Idem nobis praebet: *rōsea* (Paul. Fest. p. 283 cf. Reitzenstein *Hermes* XX 539 et Fun. p. 352) non a „rŏsa" sed a „rōre" (vel potius a „rōs") [3].

Paucis hic tangere volo rem apud Varronem notatu dignissimam, quae nescio an certam de his rebus prodat doctrinam, quaeque Varronis *sensum* phoneticum utique manifestum reddit. Nam quod aliquotiens *i* excidisse putatur [4], ita ut nulla huius rationis adsit necessitas, tam

---

[1]) Incredibile paene est, eodem modo (V 136) Varronem *rastros* a „ruendo", et *ibidem rastellos* a „radendo" derivare! cf. V 136 in. rursus idem „eruant".

[2]) Prorsus eandem rationem habes in his etymis: *vitulus* < vegitulus (V 96), *palma* < parilema (V 62), *pilum* < perilum (V 116). De re universa, cf. *pedeluis* (V 119).

[3]) Similiter apud Aug. C.D. IV 8, 155, 16 *Rusina* cum „ruribus" coniungitur (a nominativo?); sed ib. VII 23, 303, 15 *Rusor* a „rursus" derivatur.

[4]) Cf. *armenta* < arimenta (V 96), *rutrum* < ruitrum (V 135) *viritus* < viritus (V 73). Cf. etiam *praeda* < parida (V 178) et annot. 2 supra.

propter rem ipsam insigne est, quam quod semper fere ipsum *i* ad hanc rem ceteris vocalibus praeponitur, revera, ut hodie omnibus notum est, quia *i* vocalis levissima est, ad quam ultimam vocales latinae temporis cursu devenerint. Rem profecto miram et diligentiam in Varrone alibi inusitatam atque inauditam, quae priorem statum vocabuli postulat, unde ad formam descendat hodiernam!

Verum persaepe etiam fit, ut pars quoque semasiologica satis superque apud nostrum valeat, ita ut coniecturas ei inspiret, quod ad sonum attinet, prorsus absurdas. Exempla sint: *adagio* < ambagio (VII 31), *Aventinus* < advectus (V 43), *Graccus* < gerendo (Ter. Scaur. p. 20, 2), *panuvellium* < volvo (V 114), *pertinacia* (< pertendo (V 2; v. supra p. 161), *Subura* < Succusanus! (V 48, ubi ratio geographica et compositionis fastidium iunguntur), *victrix* < vincire (V 62: „videsne haec non quod vincere velit, „Venus, sed vincire?), *vinea* < vitis (V 37)[1]).

Ignorantia suffixorum — quae eorum quibus subordinata aut coordinata essent, ut nunc grammatici loquuntur — hoc quoque effecit, ut saepenumero ratione semasiologica et etymologica falsa ordinem poneret inversum:

Quare hoc *i* in *quaestor* < „quaesitor" non memoret (V 81 cf. VI 79) e.g., non liquet: cf. *praetor* (V 80, 87) et de *i* V 21.

Eodem modo in suffixis interdum nimis est accuratus: cf. *tempestas* (VII 72).

[1]) In vocabulo *praetor* (V 80 et 87, Non. I 35 Lind.) mihi non constat, utrum Varro re vera id e praeitor conflatum perspexerit, an „praetor" intellexerit quasi „voor-man", suffixi *-tor*, ut alibi saepe, vim non tenens.

Alia sunt, quae aut Varronis neglegentiae imputanda sunt aut eius semasiologiae aestimationem monstrant: cf. *subtemen* (V 113 ex „sub-stamen", a Varrone non cum texendo ex „subtegmen" explicatum), at optime: *mantelium* (VI 85 a „manu et tergendo", quod ibi notio tergendi menti obversari omnino *debet*). Neglegentiae est, ubi (L.L. VII 30) *ambages* ex „ambe" derivat, et proximo capite *adagio* tamquam *ambagio* ambiendi verbo descripsit. Hic enim tam per se quam propter glossarum ordinem probabile videtur, Varronem in iis verbum agendi agnovisse.

ut *agger* ab aggerando, *genus* a generando, *locus* a locando, *sera* a serando, vel contrario modo: *facere* a facie (Walde *Etym. Wrtb.* p. 202 *facies* a faciendo derivat [1]), *formare* a forma, *velle* a voluntate.

Quod si falsum est, stulta tamen illa consideratio apud posteriores frequens, quae vocabuli ambitum vel litterarum numerum metitur, ut brevissimum quidque per se putet antiquissimum, saltem nondum grassatur. Sed in his ipsis rebus vestigium adhuc illius vitii originis odorari mihi videor, quod veterum etymologia a logicis vel certe semasiologicis meditationibus profecta est. Ut nos vulgo dicimus: „Wat is „een plaats? Waar men iets plaatst. Wat een grendel? Waar„mee men grendelt; itidem Varro eiusque aequales vulgari admodum ratione uniuscuiusque verbi inquisitionem instituerunt deque iis disputarunt.

Ut summa tantum ponam, hoc capite, in cuius argumento Varronem maxime se ipsum fuisse atque sibi indulsisse credimus, constantiam eius parvam, intellegentiam vitae linguarum exiguam percepimus. Multa insunt ac varia: Varroni ut ex fontium diversitate ad novam suam eniteretur unitatem non contigit, quia ipse minime firmus sibique constans erat, utpote homo in omnes fere partes vel potius in nullam omnino proclivis. Eiusmodi considerationes se haud magni pendere, quas aequales diligentia, si non ratione ac fructu, maiore cordi habuerunt, expresse dicit (VII 106): „siquis alterutrum sequi malet, habebit „auctorem", h.e. se talia minus morari [2]).

---

[1]) Rectius Gell. XIII 30, 2: *facies* a faciendo.

[2]) Taedii plenum est stulta colligere. Quare pessima documenta tantum pauca afferam: *fiscina* < ferendo (V 139); *sicilire* (R.R. I 49, 2: „a qua sectione arbitror dictum s. pratum"), *doceo* a dicendo vel ducendo (VI 62); porro: *camena* a canendo (Aug. C.D. IV 11, 161, 12) *et* a carmine (L.L. VII 26) et *canere* a Camena (ib. VI 75).

III. De rebus phoneticis.

Varro igitur nonnulla verba obscuriora putavit, „quod nec „quae recte est imposita, cuncta manet (sc. impositio) — „multa enim verba lit<t>eris commutatis sunt inter„polata — e.q.s. (L.L. V 3)."

Nunciam perlustremus locos, ubi de huiusmodi rebus loquitur, deinde quid ad hanc rem etyma ipsa conferant paulisper videamus.

Ex eo si quaesiveris cur tandem vocabula tot subierint mutationes, recte respondebit, si parum definite: „vetustas „pauca non depravat, multa tollit; quem puerum vidisti „formosum, hunc vides deformem in senecta. tertium secu„lum non videt eum hominem, quem vidit primum" (V 5. Ibi Nestoris imago ei obversabatur?) [1]). Res igitur spe haud melius comparata est: hic eam opinionem habemus, quae linguam paulatim minus rectam evadere putat. Quod apud antiquos tantopere illi doctrinae videtur esse innatum tamque arcte cum tota eorum mente conexum, ut huius rei Varronem auctorem fuisse negemus. Apud Gellium de Varrone hoc invenimus (XII 10, 4): „M. Varro in libro „secundo ad Marcellum de Latino sermone „aeditumum" „dici oportere censet magis quam „aedituum", quod alterum „sit recenti novitate fictum, alterum *antiqua origine* „*incorruptum*", ubi ipsam Varronis habemus sententiam (idem R.R. I 2, 1 et, ut fit, brevius L.L. VII 12 et VIII 61). Ut Aelius (L.L. VI 59) „novissimum" recusat, ita Varro

---

1) Idem dicit (V 6 in.): „quom (libri: quorum) verborum novorum „ac veterum discordia omnis e.q.s." Cf. VII 2 et 3 et supra p. 167, 1.

hic vetustatis exsistit conservator. Cur et quomodo iuxta „aeditumum" recentes novum illud „aedituum" excogitassent, non disquirebat. Tamen hoc exemplo illustrari potest, qua ratione illam depravationem sibi fingerent.

At vero si paulo diligentius insistimus, in Varrone spe iterum frustramur. Mutationum namque (L.L. V 6) causas reddens, breviter complectitur quae dubio procul in ll. II—IV fusius exposuit [1]; nihilominus illic copiosius de iisdem rebus eum disputasse suspicor, nequaquam melius vel gravius. In hoc utique libro leve tantum schema nobis offert, quod potius ordine facta disponit quam explicat origine ac natura. Bis quaternae, inquit, causae sunt commutationis: „litte-„rarum enim fit demptione aut additione et propter earum „tra<ie>c[ta]tionem [2] aut commutationem, ita syllabarum „productione [3]". Cf. etiam VI 2 et VII 1, ubi eadem brevius

---

[1]) Ita l.l. expresse dicit: „ut in superioribus libris ostendi."

[2]) „Traiectio" apud Cic. Or. 230 et Auct. ad Herenn. 21, 29. An „traiectatio" ex „*traiectio*" et „tralatio" contaminatum est, ut Wölfflin (l.l. v. supra p. 99 et 189,1) putat?

[3]) Hic locus conclamatus est. Goetz et Schoell in calce, Scaligerum et Muellerum secuti, dubitanter proponunt: „item syllabarum productione correptione adiectione detractione", coll. ni fallor Quint. I 6, 32. Sic utique octo easque *diversas* habemus causas, quare mihi quoque tale quid legendum esse videtur. Notandum hoc solum est, mutationem $\breve{e} > \bar{e}$ etc. hoc modo non sub litterarum commutatione enumerari, sed sub syllabarum productione aut correptione. Quod ni fallor, arcte cum veterum sententia cohaeret, qua vocalis — recte — minus per se quam syllabae culmen et corpus considerabatur. Quintiliani divisio, qui saepius fontes non intellegit et deinceps perperam supplet (cf. Usener *Sitz. Ber. d. bayer. Akad.* (*phil. hist.*) 1892, 609 sqq.), sibi non constat: nam quae est differentia inter l i t e r a r u m et s y l l a b a r u m porrectionem sive correptionem? Ubi traiectio memoratur?

Idem pertinet ad L. Spengeli coniecturam, qui „productione" expungere vult. Wilmanns denique (*de M. Ter. Varr. libr. gr.* p. 24 sqq.), cui Wölfflin *Archiv f. lat. Lex.* VIII 563 sqq. assentitur, legit: „syllabarum productione aut correptione, denique vocabulorum „compositione aut conlisione". Huic coniecturae nonnihil refragatur: 1°. quod loci, quibus nititur, aut aliter nunc leguntur (L.L. V 171 ubi „conlisum" legebat coll. Prisc III 410 sqq., vulg. exhibet „conclusum")

tangit. Reitzenstein (*Gesch. d. gr. Et.* p. 187) haec omnia e Philoxeni doctrina manasse suspicatur (v. supra p. 173), quod num rectum sit, valde dubito. At cum Graecorum παθολογίας studiis hoc arcte cohaerere, neque Varronem haec solum (et primum?) excogitasse, mihi quoque videtur veri simillimum.

Has octo causas Varro dicit nos posse animadvertere „in consuetudine communi" (V 6). Quae observatio quamvis nostro iudicio recta videatur necnon aliquantum promittat, vereor tamen ne ad prorsus nihil redeat: nam revera mutationes phoneticae in loquela cottidiana obviae adeo sunt subtiles et tardae, contra hae causae tam graves tamque generales, ut Varronem eiusve auctorem eas e sermone cottidiano, ex lingua „locuta" deduxisse nullo modo probari possit. Nusquam enim alibi huius consuetudinis communis in Varronis etymis ullum invenitur vestigium. Quae cum ita sint, haec observatio mihi utique non prior, fortasse etiam posterior videtur quam octo classium excogitatio: Varro eam, ni fallor, de suo aut aliunde sumptam defensionis causa addidit [1]).

Sed hoc nondum contenti Varronem diligentius perscru-

---

aut hodie lacunosi putantur (sic V 176); 2°. quod mihi quidem persuasum est, Varronem numquam adeo subtiliter neque tamen diserte — nam ubi inter has status est finis? — discrevisse compositionem (in qua vocabula haud ita multum mutentur, e.g. *aedi*-[*s*] - *ficium*) et conlisionem (ubi maiores resecentur partes: *sept*[*em*] - *unx*); 3°. quod huic loco non convenit. Nam de rebus phoneticis, quae solae hic tanguntur, nihil afferunt novi, de etymologiae vero rationibus, de quibus haec coniectura agit, sermo apud nostrum hic non est. A Varrone, qui in ipsis schematis enucleandis vel elaborandis satis erat spectatus, in huiusmodi rebus magnam sui constantiam exspectare debemus.

[1]) Cf. ibid. perfectum: „sit facta", non praesens „fiat", licet animadvertere talia possimus tantum in iis, quae oculis vel auribus subiecta sunt. Eodem modo Varro temere ad mutationes quasdam phoneticas prorsus inauditas interdum addit: „ut saepe", „ut in multis e. a.", quas tamen nusquam reperire potuit.

temur, si forte aut ex libris grammaticis aut ex ipsis veriloquiis quicquam haurire possimus, quod ad nostram quaestionem pertineat. Libri, quorum hic ratio habenda est, sunt: *de sermone latino ad Marcellum* (Wilmanns p. 47–98, fragmenta p. 170, ap. Fun. p. 199), *disciplinarum lib. I de grammatica* (W. p. 98—117, frg. p. 208, Fun. p. 205), *de antiquitate litterarum* (W. p. 117—126, frg. p. 218, Fun. p. 183), et fortasse *de origine linguae latinae* (W. p. 126—134, frg. p. 220, Fun. p. 184) et incerta frg. 233—296. Funaioli vulgo in assignandis singulis fragmentis minus confidenter quam Wilmanns grassatur. Verborum explicationes certae sedis apud Funaiolium exstant fragmenta 90—232, incertae 323–461.

De Wilmansi disputatione non habeo quod addam: mea laude maior est, nisi tantum quod iudicium de Varronis ratione interdum mihi nimis benignum videtur atque ex eius fragmentis iusto plus elicuit.

Ne multa, ex his fragmentis et disputationibus clare cognoscimus, Varronem in his rebus haud longius esse progressum quam superiores. Qualis igitur eius ratio fuerit et quare ita fuerit comparata, uno exemplo illustrare mihi liceat.

Annaeus Cornutus ap. Cassiod. de orthogr. (= G. L. Keil VII) p. 153, 1 (Wilm. fr. 95, Fun. fr. 49) dicit: „— ipsius „(sc. Varronis) verba subiciam: „„litterarum partim sunt „et dicuntur, ut a et b, partim dicuntur neque sunt, ut h „et x; quaedam neque sunt neque dicuntur, ut φ et ψ."" Hoc fragmentum Wilmanns memorat neque expendit p. 108. Iam Cornutus dubitavit, ubi dixit: „— quod (sc. sententia de h littera) multo minus mirum, quam quod x „quoque litteram esse negat. in quo quid voluerit, nondum „deprehendi." Si quis hoc loco observationem quandam se habiturum sperat phoneticam, spe statim frustratur: neque enim „sunt" neque „dicuntur" de soni ipsius origine vel natura quicquam declarant. „Dicuntur" (sc. esse litterae) Romanorum opinionem exponit, neque „sunt" maioris est

momenti praeter h litteram. Nam litterae non „sunt" neque „dicuntur", a Romanis scilicet, φ (= πh) et ψ, quod duplices sint et graecae; item x non „est" littera propter duplicem naturam. Quod h in litterarum numero non habet, hoc dubio procul Graecis debet, qui ideo vel maxime hunc sonum sua littera etiam notare desierint (cf. Wilmanns l.l. p. 93 sq., et Fun. frg. 2, 279, 280 a—d.). Hac una in re quae speciem quandam observationis phoneticae prae se ferat, Graecorum sententiam suae linguae accommodat potius quam suas aures consulit. Prorsus idem habes in frg. 2 et 239. Itaque non id egit Varro, ut ipsos sonos eorum creationem, condiciones, mutationes affinitatesque perscrutaretur, sed ut historiam potius litterarum legentibus evolveret. Sic factum est, ut Varro de suo vel ex fontibus multa haberet, quae enarraret de recta falsave pronuntiatione et ratione scribendi (de ὀρϑοεπείᾳ et ὀρϑογραφίᾳ Wilmanns p. 84), de accentu, de numero, de metro (cf. E. Norden in commentatiuncula supra p. 101, A. 1. laudata), et tamen de ipsa sonorum condicione plane caecutiret. Atqui dixerit aliquis, iniusta esse haec desideria pro antiquorum doctrina et cultura. Hunc ad ea revoco, quae ex Graecis unus, Varronis aequalis minor, Dionysius Halicarnassensis de iisdem rebus iam egregie disputavit tam in vocalibus quam in consonantibus (cf. Steinthal l.l. II² p. 196 et 201), superioribus videlicet iam maxime fretus. Varronis igitur silentium valde miramur, quaerentes utrum haec atque talia nondum ad eum penetraverint an eiusmodi res prorsus supervacaneae ei visae sint. Utut res se habet, hic quoque, ut fere, Graeci ingenii acumine ac sagacitate valuerunt, Romani ne tradita quidem tradiderunt, intellexerunt, extenderunt [1]).

Hoc quoque meam sententiam de lingua non per se et pro se spectata sed etymologiae finibus submissa confir-

---

[1]) **Quamquam ne Graecos quidem ad tempus talia inventa et eventus in etymologiae usu adhibuisse ingenue fatendum est.**

mare videtur, quod in numerum [1]) mutationis causarum etiam additionem illam receperunt. Quae iis nonnisi perraro adhibenda erat ideoque minime necessaria, quamque nihilominus admiserunt, quo plenam seriem efficerent. Hodie melius iam scimus, talem mutationem numquam fere usu venire (nisi in eo, quod vocatur svarabhakti, epenthese et alibi raro). Neque secius antiqui in lingua vernacula eandem animadvertere potuerunt [2]), quod tamen nihil morabantur. Quare? Quia non ipsam linguam sed tantum studii necessitates ducem atque fontem unicum habebant.

Iam vero quae in ipsis etymis inveniuntur observationes phoneticae, recenseamus. Sunt autem hae: „littera commutata" (*adagio*, *mb<d*, VII 31), „postea I tertia littera „extrita" (*armenta* V 96), „e quo (sc. b(e) alare) post balare „extrita littera, ut in multis" (R.R. II 1, 7), „in multis „verbis in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R" (*Carmena: Casmena* VII 26), „permutato pro M N" (*canere* VI 75), „antiquis enim quod nunc G C [3])" (*Ceres* V 64), „G in „C mutavit ut in multis" (*cervi* V 101), „E ex A commu„tato ut multa" (VII 94), per antistoechum" (?) (*curculio* < *gurgulio*, Serv. G. I 186), „litteris commutatis paucis" (VI 62), „littera commutata" (*falces* < *far*, V 137), „detractam „secundam litteram" (*favissae* < *fl.* Gell. II 10, 4), „littera

[1]) Cf. in observationibus s.s.: additio saepe nomine indicatur tamquam singulare quiddam.

[2]) Quamquam vulgo eos latebat, vocabula plerumque decrescere et viescere, non augeri; hanc sententiam generalem — sed usui nihil proficientem — Varronem quoque fovisse, luculenter docet eius imago de sene et iuvene (L.L. V 5).

[3]) In etymo: Ceres a gerendo sic Goetz et Schoell locum legunt. Si recte, ita interpretandum est: antiquos G sonum C signo notasse, neque Varronem de soni mutatione hic egisse. Cur in hoc verbo vetus notatio per C recentiori per G non cessisset, id Varro ne quaesivisse quidem videtur. Eodem spectat Muelleri coniectura: „— enim „C, quod nunc G (sc. notatur)". Noli interpungere modo in Varrone „saepe occurrente: C quod nunc, G". At phoneticam mutationem eandem habes s.v. *cervi*, cf. s.v. *curculio*, et contra s.v. *gladius* et *inlicium*.

„una mutata" (*flagellum* < *flabellum*, R.R. I 31,3), „F pro H „posuit" sc. posteritas (*Formiae* < ὅρμη, Varronis? cf. Reitzenstein *Hermes* XX 533, Fun. fr. dub. 390 ap. Serv. Aen. VII 695), „olim enim dicebatur frugmentum, nunc frumentum effertur et forgtis non fortis et gnatura non natura" (Varronis? Inc. de praenom. 5) „C in G commutato (*glădius* < *clādes* V 116), „ut in multis A addito" (*edus* > *aedus*, V 97), „consuetudo addit H" (*hortus* ab oriendo, Char. p. 82, 7 (K. I) et Vel. Long. (K. VII) p. 68, 19), „< quod I > cum E „et C cum G magnam habet communitatem" (cf. Goetz et Schoell ad VI 96, *inlicium* ab illegendo?), „littera commutata," (*lolligo* a *volligo* V 79), „ut quod apud Graecos „Θέτις, apud Ennium Thelis" (*lympha*, VII 87) quod antiqui „ut Thetim Thelim dicebant, sic Medicam Melicam vocabant" (R.R. III 9, 19), „D antiqui non R in hoc dicebant, ut Prae- „neste incisum in solario vidi" (*meridies* < *medidies* L.L. VI 4), „a mollitie immutata et detracta littera velut mollier" (*mulier*, Lact. *de opif. dei* 12,16), „media extrita syllaba" (*nequam* < *nequicquam*, L.L. X 81), „in pluribus verbis A „ante E alii ponunt, alii non, ut quod partim dicunt < „scaeptrum partim > sceptrum e.q.s." (L.L. VII 96), „littera „commutata" (*odor* : *olor*, VI 83), „e quo S extritum" (*o*(*s*)*men*, VII 97), „G L quod fuit" (*pala* a pangendo, V 134), „R „exclusum propter levitatem" (*pallia* < *parilia*, V 133), „exin „mutatis litteris ut in multis" (*palma* < *parilema*, R.R. I 31, 3), „immutata una littera" (*Parca* < *partus*, Gell. III 16, 10), „non ex Graecia dimidiatum" (*petorritum*, Gell. XV 30, 6) „L et S inter se saepe locum commutant" (*pilum* a pisendo, L.L. V 138), „detortam vocabuli formam" (*Roma* < *Romulus*, Fest. p. 269 b, Varronis?), „una littera commutata" (*rosa* < ῥόδον, V 103), „deinde una littera, ut fieri „adsolet, commutata" (*Serapis* : σορός, August. *Civ. D.* 18, 5), „Succusanus nunc scribitur tertia littera C, non B" (L.L. V 48), „cum R uno" sc. scripta est *terra* in augurum libris (V 21), „o littera in u conversa" (Varronis? Inc. de praen. 4), „E in „U abiit" (*turma*, L.L. V 91), cf. „E litteram exclusam" (X 57).

Haec frustula si perlustramus crebra illa Varronis varietas hic quoque conspicitur: nunc de litterarum signis tantum agitur, nunc soni vera mutatio paulatim progrediens accipitur, nunc pro hac littera vel hoc sono antehac prorsus aliam fuisse credere non gravatur. Ita enim comparatum est, ut modo quidem theoretico nondum multa de his disputata essent neque certa firmaque eiusmodi exstaret doctrina. Suspicari licet, Varronem eiusque aequales ita duxisse, theoretice, ut dicimus, *omnes* mutationes soni fieri posse, in usu vero eos a coniecturis nimis absurdis temperasse, vel certe tales mutationes non nisi coactos et rarius tolerasse, hac in re ductos sensu quodam communi. Quod nobis ita expedire possumus ut veteres etymologos (v. supra p. 88), qui in divinando plerumque alta vel media voce vocabulum, de quo ageretur, secum repeterent idque in omnes partes versarent atque temptarent, hac de causa inscios re ipsa atque natura soni ipsius ductos putemus. Exemplo sit nomen *patris*: numquam, opinor, Varro vel brevissime huius vocabuli cum „sator" coniunctionem vel explicationem admisit, quamvis graeca etymologia (v.s. p. 129, 135 sq.) πατήρ : σπατήρ : σπείρω eandem imaginem proponeret: nempe ut in auditu, ita in eo, quod vocatur „Bewegungsgefühl", *p* et *s* litterae *primo loco* positae nimis iis discrepabant. Quo factum est, ut plerumque mutationes phoneticae ab eo positae haud ita ineptae vel absurdae evaderent, ut earum praecepta sive potius praeceptorum ac doctrinae absentia promittere videbatur [1]). Cuius nimirum differentiae — sc. doctrinae eiusque usus — Varro ipse minime sibi conscius fuit.

Apparet igitur Varronem bis modo in his observationibus

---

[1]) Quamquam hanc rem apud Varronem minus iam quam in graeco etymologico deprehendere mihi videor: illic iam verbi scriptura maiorem quam hic exercebat vim. Mirum est animadvertere, nos quamvis melioribus fretos legibus phoneticis, tamen hac ipsa maxime de causa et propter analogiae imperium minus quam antiquos ipso sono plerumque duci.

quartam litteram respexisse (s.v. *flagellum* et *Parca*), ceteroquin tantum tres litteras priores, ita ut secunda melius quam tertia, prima vero singulari cura tractaretur [1]). Ex usu tamen doctrinae tantum profluxisse haec crediderim, non rationem fuisse per se elaboratam. In iis tantum rebus, quibus mutatio quaedam phonetica saepius recurrebat, Varro singulari mentione eam dignatus est: id solum aliquatenus legis vel praecepti vice fungi ei videbatur. Quod tamen constantia nulla neque ulla causa obvia saepius eum facere supersedisse quam fecisse ingenue fatendum est. Hoc e tabulis elucet, quibus omnes apud Varronem mutationes collectas disposui. Longum est haec repetere, minimus sane ex illis capitur fructus. Id tantum huius loci est, quod Varronem in omnibus etymis tres tantum quattuorve priores litteras observasse, ceteras non curasse, inde non minus evidenter apparet. Plerumque igitur sic Varronis animus atque ratio concipienda est; non: hanc mutationem causa cognita approbat, sed omnino magis: haec discrepantia etymi cuiusdam impedimentum ei non est [2]).

Duo capita praecipua phoneticae antiquae fuerunt: mutatio S inter vocales in R [3]) et cognatio F et H (vel nihili) per dialectorum differentiam (cf. praecipue fr. 280 = Vel. Long. p. 68, 14). Num haec duo ad ipsum Varronem referenda sint diiudicare non ausim. Aliae sunt ibidem M > N, G > C, A > E, G periit, C > G, A additum, H additum, I cum E C cum G affinitas, *r* > l, D > R, A additum, M > N, G > L, R exclusum, S > L, E > U, O > U, H > F. Itaque Varro compertum sibi habuit, quasdam litteras cum aliis

[1]) Unum *brassica* <*praesica* (L.L. V 104) excipere par est: ibi Varro annotationem non addidit, credo, quod *b* et *p* ipsi summe viderentur affines. Ceterum cf. de *C* et *G*, *F* et *H* in l.l. p. 209 sqq.

[2]) Hac in re posteriores quidem melius observaverunt, si non intellexerunt; cf. Char. p. 135, 13 (K.I): „ubi Plinius eodem libro VI: „„si *r* littera processerit in quacumque syllaba, sequi debet *l*, ut augu„„rale. contra si *l* praecesserit, sequi debet *r*, ut molare." " Optime haec!

[3]) Cf. imprimis *feriae* apud Vel. Long. p. 72, 22: „ferias etiam, non „fereas, quoniam apud antiquos fesiae, non feseae dictae sunt."

„communitatem" habere, quasdam non habere. „Antiqui" (passim et imprimis L.L. V 96) aliter locuti sunt atque Varronis aequales loquuntur. „Consuetudo" quoque addit litteram s.v. *hortus*). Etiam in transeundo e graeca lingua in latinam vocabuli forma saepe vertitur. Harum rerum causam unam tantum inveni nominatam: „propter levitatem" (s.v. *pallia*), h.e. ut facilius vocabula efferant homines. Linguam in statum semper expeditiorem tendere intellexit, sed nusquam fere hanc doctrinam adhibuit.

Omnes fere mutationes supra laudatae cum r e i p s a concinunt praeter has G > L et L > S. Ubi „multa illa" et alia talia invenirentur, neque Varro quaesivit neque nos ex eo quaerere par est.

Quantopere Varro non sermoni cottidiano maxime confisus sit, verum etiam libris eorumque linguae i m a g i n e irretitus fuerit, ex ipsius dictis assequemur (VII 96): „in „pluribus verbis A ante E alii *ponunt*, alii non, ut quod „partim *dicunt* < scaeptrum, partim > sceptrum e.q.s.," ubi (v. supra p. 209, A. 3) duae illae confunduntur — lingua ipsa eiusque per orthographiam facta imago — sive potius earum singulares condiciones non dignoscuntur. Ibidem tamen linguae quoque vel pronuntiationis dialecticae mentionem inicit, quali rustici utebantur, id quod dubio procul non ad s c r i p t u r a m maxime pertinet. Quomodo illa: „abiit" „extrita" et alia talia sibi finxerit, num haec definitam quandam cogitationem de his rebus prodant, diiudicare non possum [1]).

Quae cum ita sint, Varro divinatione nobis videtur caruisse, qua leges quasdam phoneticos invenire potuerat. Quae eiusmodi perspexit, nonnisi exemplis e t i a m t u n c exstantibus ductus indagavit, e.g. L.L. VII 26 de S > R et frg. 280: *fasena: harena*. Egregie hoc illustrat locus ex libro VIII (ex alio fonte atque l.l. V—VII) petitus (§ 55),

---

1) „Detortam" (s.v. *Roma* v.s.) *ipsius* Verrii mihi videtur, non Varronis; etiam „per antistoechum" (Serv. G. I 186) et „per antistichum" (Serv. Aen. VIII 51) posteriori saeculo tribuenda sunt.

ubi Varro vel alius duobus exemplis adeo certis ratione severa adduci debuerat ut ibi vel in l. IX mutationem phoneticam (sc. *du-* > *b-*) detegeret (quod licet anomaliae defensioni argumentum, hercle, argutum dempturum fuisset). Si secius cecidit, optime monstrat, homines eius aetatis quam parum notione mutationis cuiusdam necessariae necnon legibus obstrictae imbuti fuerint.

Modorum conspectus.

Quot mutationis phoneticae modi in Varronis etymis occurrunt, ex schedulis meis collectos breviter percurram [1]).

I. *Mutatio*

A. qualitativa

a. vocalis in vocalem: e.g. *e* > *a* (*farrago*, R.R. I 31, 5), *e* > *o* (*fordus* VI 15).

b. consonans in consonantem: e.g. *g* > *c* (*curculio* Serv. G. I 186), *s* > *r* (*feriae*, Vel. Long. p. 72, 22, Keil VII).

c. semiconsonans in vocalem: e.g. *u̯* (*v*) > *u* (*Faustus*, Inc. de praen. 4).

d. diphthongus in simplicem vocalem et modo inverso: *ū* > *oe* (*amoena* Serv. A. VI 638, *moenia* V 141, *moerus* V 141), *ae* > *a* (*Agrippa* Gell. XVI 16, Plin. N.H. VII 45 *aqua* V, 123) cf. de voce *faenerator* Varro ap. Gell. XVI 12, 7 (N.B. „pronuntiasse").

B. quantitativa

a. vocales: *ŭ* > *ū* (*lucere* VI 79), *ū* > *ŭ* (*lucerna* V 119).

b. consonantes: *ll* > *l* (*molae* V 138), *l* > *ll* (*lolligo* V 79), *rr* > *r* (*Furinalis* V 84), *p* > *pp* (*oppidum* V 141.).

II. *Additio*

A. syllabae

a. initio: *ig-* (*ignis* V 70), *me-* (*meminisse* VI 44, 49), *a-* (*anas*? V 78).

---

[1]) Cf. iam pauca apud Lersch III p. 176.

[2]) Loci, qui in sequentibus afferentur, libro non laudato ex L.L. petiti sunt. Frg. = *Grammaticae Romanae fragm.*, ed. H. Funaioli, 1908.

b. in medio: *-lli-* (*cilliba* V 118).

B. litterae vel litterarum:

a. vocalium.

1. initio (cf. ib. A, a).: *a-* (*anas* V 78), *a-* (*amuletum?* Char. p. 105, 9 K.I.).

2. in medio: *-a-* (*haedus* V 97), *-e-* (*peregrinus* V 33, *laena* V 133, *laetari* VI 50, *maerere* VI 50), *-u-* (*Faunus* VII 36).

b. consonantium.

1. initio: *h-* (*honus* V 73, *hortus* Char. 82, 7, Vel. Long. 68, 19, *hiems* VI 9), *m-* *Murciae* V 154).

2. in medio: *-n-* (*lingua* Lact. *de op. dei* 10, 16), *-m-* (*fimbria* V 79).

III. *Demptio*

A. syllabae

a. initio: *es-* (*scratiae* VII 65).

b. in medio (saepe haplologia e.g. *cura* VI 46 (ex *cor-ura*[t]), *ecurria* VI 13): e.g. *-ri-* (*hordeum* V 105), *-er-* (*triones* VII 74), *-ri-* (*palma* R.R. I 31, 3), *-ud-* (*Gaius* Inc de praen. 5), *-de-* (*pelvis* V 119), *-be-* (*ancilia* VII 43), *-at-* (*agnus* V 99), *-er-* (*pilum* V 116).

B. litterae vel litterarum

a. vocalium.

1. initio (aphaeresis): e.g. *a-* (*mulgere* VI 96), *e-* (*esum* IX 100).

2. in medio (syncope?): e.g. *-i-* (*flamen* V 84), *-e-* (*patres* V 85, *granum* R.R. I 48, 2), *-o-* (*pontem* Lact. *de op. dei* 8, 6), *-e-* (*triones* VII 74); aliter: *-o-* (*cāseus* V 108?).

b. consonantium

1. initio: *g-* (*Gnaeus* Inc. d. praen. 5), *s-* (*irpices* V 136), *x-* (*aper* V 101), *c-* (*urvum* V 135), *d-* (*Iovis* V 66, 84).

2. in medio: *-b-* (*ocrea* V 116), *-l-* (*favissae* Gell. II 10), *-b-* (*gluma* R.R. I 48, 2).

IV. *Mutatio loci*

a. syllabae : ?

b. litterarum (metathesis) :

1. vocalis et consonantis : e.g. *praeda* (< „parida"? V 178), *supparus* (V 131).

2. consonantium : *capra* (V 97, R.R. II 3, 7), *cerno* (VI 81), *febris* (Non. p. 66 Lind.), *grex* (V 76), *macri* (VI 50).

V. *Commixtio in alium statum*

a. vocalium (cf. I A d) : *oa* > *ā* (*cāseus* V 108 vel etiam per III a, 2 ?), *au* vel *ae* > *a* (*arena* Serv. A. I 172, Vel. Long. 69, 4), *ua* > *ā* (*rapa* V 108), *oe* > *a* (*carcer* V 151), *oa* > *a* (*cultus* V 36).

b. consonantium : *rv* > *c* (*cucumeres?* V 104), *cc* > *b* (*Subura* V 48).

c. vocalis et consonantis ? : e.g. *-is-* > *ī* (*dimidiatum* Gell. III 14).

VI. *Extensio in alium statum*

a. vocalium : *ū* > *ue* (*pueri* Censor. *d. die nat.* 14, 2), *i* > *oe* (*foedus?* V 86).

b. consonantium : *d* > *ss* (*messis* R.R. I 50, 1), *c* > *qu* (*Quirites* VI 68).

Postremo nunciam restat, ut exemplis tribus (*ă*, *c*, *l* litterarum *latinarum*) ostendam, quam latis finibus conscientia illa Varroniana phonetica contineatur.

A. (*ă*). *a* > *ā* (*tragula* V 139, *gralator* VII 69), *a* > *e* (*Antemnae* V 28, *Ceroliensis* V 47, *Kalendae* VI 27, *Mamurius* VI 49, *pecus* V 95), *a* > *i* (*Amiternini* V 28, *ignis* V 70), *a* > *ae* (*aedes* V 160).

e > *a* (*asparagus* V 104, *damnum* V 176, *farrago* R.R. I 31, 5, *graguli* VII 76, *sardare* VII 108), *ε* > *a* (*Sabini* Fest. p. 343 M., *stagnum* V 26), *o* > *a* (*Mars?* Aug. C.D. VII 3, 277, 15, *vallum* V 138, *valvae* Serv. A. I 449), *ae*

> *a* (*Agrippa* Gell. XVI 16, *aqua* L.L. V 123, *as* V 169), *oc* > *a* (*carcer* V 151).

C. *c*(*c*) > *b* (*Subura* V 48), *c* > *g* (*fagutal* V 49 cf. 152, *gladius* V 116, *tragula* V 115), *c* > *n* (*Aventinus* V 43), *c* > *s* (*lusciniola?* V 76), *c* > *qu* (*loqui* VI 56, *Quirites* VI 68), *g* > *c* (*cartibulum* V 125, *Ceres* V 64, *curculio* Serv. G. I 186, *Muciones* V 164), *t* > *c* (*Orcus* V 66).

L. *l* > *ll* (*cella* V 162, *collis* V 36, *lolligo* V 79, *palla* V 131), *d* > *l* (*Fidius* V 66, *Melicae* R.R. III 9, 19, *olor* L.L. VI 83, *solium* V 128), *δ* ≥ *l* (*lepestae* V 123), *g* > *l* (*pala* V 134) *ll* > *l* (*folia* Suet. p. 130 Reiff., *molae* V 138, *mulier* Lact. *de op. d.* 12, 16, *Veliae* V 54), *n* > *l* (*Germalus* V 54), *ν* > *l* (*lympha* VII 87), *r* > *l* (*falces* V 137, *olet?* VI 83), *ρ* > *l* (*lilium* V 103), *s* > *l* (*pilum* V 138).

Haec si comparantur cum iis, quae supra (p. 211) dicta sunt, observationem meam confirmare videntur, etymologiae sectatorem vel venatorem plerumque ipso sono ductum esse ideoque errores nimis graves vitasse. **A** apud Varronem saepius mutatur in vocales palatales quam in velares, **C** in consonantes plane vel tantum non eiusdem originis, quod ad oris partem pertinet (pessima exempla *c* > *n* et *cc* > *b* ipsi Varroni — medius fidius — maxime debentur!), **L** in geminatum sui sonum, in *d* eiusdem „articulationis loci" vel in alios „Sonorlaute" (pessima sunt *g* > *l* et *s* > *l*, at utrobique Varro observatione haec dignatus est, cum singularem huius rei condicionem perspiceret). Raro aut numquam fere in omnibus veriloquiis mutatio vocalis *brevis* in *aliam* eamque *longam* occurrit, id quod ab soni natura m a x i m e abhorret.

IV. De rebus semasiologicis [1].

Postremum ad partem semanticam venimus. Quae quamquam ab initio studii linguae partes maiores egit quam phonetica ratio — a philosophis enim ista doctrina inaugurata fuerat —, tamen propter nimiam difficultatem èt tunc temporis mirum quam male floruit èt hodie adhuc in primordio resistit necdum leges nisi maxime generales significationis historiae in lucem protraxit. Itaque, ut supra iam dixi, potius ut describamus quam ut explicemus atque omnes illius temporis considerationes tamquam necessarias evolvamus nobis quoque agendum est.

Primum tria ponam, quae maximi sunt momenti:

I. Antiqui numquam satis sibi persuaserunt (v. supra p. 34 sqq.), linguam atque mundum tam visibilem quam intellegibilem, ut ita dicam, eisdem legibus non teneri, neque illam fidelem horum praebere imaginem. Cuius rei insigne habes exemplum L.L. V 93, ubi hanc fere ratiocinationem offendes: ars ipsa prius in mundo fuit quam is qui artem colit; ita necesse est: quomodo enim aliter comparatum esse potuit? Porro artis n o m e n ab actionis verbo derivatur: a medendo igitur medicina, a m e d i c i n a m e d i c u s. Noli arguere, artem ab homine quodam inventam esse eoque hominem arte fuisse priorem. Plato tibi respondisset eo, quod artis indicaret ideam; Varro autem noster, si istam quaestionem sibi proposuisset, quid responsurus fuisset quaerere superse-

[1]) Operae pretium erit de his comparandi gratia legere, quae disputaverunt hodierni viri docti: A. Darmesteter *La vie des mots*, 1887; M. Bréal *Essai de sémantique*, 1897; et capita de „Bedeutungswandel" agentia in Pauli *Principien der Sprachgeschichte* (4a editio 1909) et Wundti *Völkerpsychologie* II 2. p. 449–614.

deo, quandoquidem ipse talem inquisitionem aggredi nimirum numquam necesse existimavit [1]. Accedit quod enuntiatio huius rei per linguam latinam nostrum magis etiam intricare debuit: „quare quod ab arte artifex dicitur e.q.s."; artificem enim eum esse, qui *artem faceret*, Varro optime perspexit [2], quare hanc relationem, multo ei clariorem quam ratio inter diversa intercedens suffixa erat (cuius rei disciplinam apud antiquos tunc temporis in pessimo statu versatam esse vidimus), etiam in ceteris exemplo habuit itaque a vero longe aberravit. Hae duae res igitur in unum eodemque vergunt, ut Varronem talem viam ingredi cogant, simulque monstrant, quantopere eiusmodi compositio, per se iam haud ita dilucida, tamen prae derivatione minores haberet difficultates et salebras pauciores.

Porro in nominis creatione vinculum illud inter notionem et appellationem positum credebant: ita etiam easdem rationes inter nomina atque eorum historiam suspicabantur, quas in notionibus observabant, parallelismum quendam saepe ibi assequentes. Cuius rei exemplum a me excogitatum tale fere evadat: ut filius originem ducit e patre in natura rerum, sic lingua quoque istam rationem indicare potuerat (et debuerat): non „filius" igitur ei nomen rectum fuisset, sed „patrius" aut tale quid. Talem cogitationem in antiqua mente vere vividam fuisse, omnium optime demonstrat notissima illa eademque infamis doctrina *περὶ τοῦ συμπάσχειν τὸ ὄνομα τῷ νοουμένῳ* vel *σημαινομένῳ* (v. supra apud Stoicos et p. 71 [3]) infra p. 220). Cf. L.L. VIII 4.

Eo usque devenit, ut una eademque appellatione rem

---

1) Haud scio an illud: „artificibus *maxima causa* ars" indicium sit, quod speciem prae se ferat graecae originis; apud Varronem enim „*maxima* causa" cur dicatur, non video; fortasse ex graeco *τὸ αἴτιον* (vel *τὸ αἰτιώτατον*) versum est, cf. e.g. Plato Kratyl. p. 496 C: *τί οἴει σὺ εἶναι τὸ αἴτιον κληθῆναι ἑκάστῳ τῶν ὄντων.*

2) E.g. *aedificium* (L.L. V 141), *panificium* (V 105).

3) Arcte cum his cohaeret necnon simul ea confirmat, quod initio ex etymologia tantum fructum speraverunt ad res ipsas melius cognoscendas. V. supra p. 43 sqq. et Barth *die Stoa* 1, p. 79 sq.

(πρᾶγμα, τυγχάνον, et eius enuntiationem per linguam confundere viderentur, licet paululum etiam neglegentiae hic subesse possit; namque ibidem Varro dicit: „< hae enim > [1]) „(sc. verborum nomina) earum *rerum* radices, ut in „proximo libro aperietur."

II. Veteres numquam vel rarissime distinxerunt, sicut nos hodie facimus, mutationem semanticam forma non mutata („interne Bedeutungswandel") a tali mutatione per praefixa, infixa, suffixa, breviter per derivationem et declinationem [2]) facta, ubi ipsius radicis significatio integra manere posset, nedum tertiam rationem internoverint, quae utramque coniungeret cf. VIII 14 sq. Optime quidem imagine hoc expressum L.L. VIII 4): „ut in hominibus quaedam sunt agnationes ac „gentilitates, sic in verbis; ut enim ab Aemilio homines orti „Aemilii ac gentiles, sic ab Aemilii nomine declinatae voces „in gentilitate nominali e.q.s.", ubi etiam de vocabulorum „stirpe" agitur. Hic enim ut imago ipsa haud invenuste excogitata est, ita omnia, declinatio, derivatio, mutatio sensus, inter se non discernuntur. Itaque mutationis semasiologicae caput apud eos multo maius graviusque quam hodie est: mutatio quaedam phonetica, quae iis arbitraria, haud necessaria, inexplicata atque inexplicabilis videbatur, derivationis usum opprimit eiusque studium obscurat. Belle hoc illustrat Augustini libellus *Principia dialecticae*, ubi *una* primi generis exempla invenies (cap. VI) *bellum* [3]), *mucro*, *piscina*, secundi vero *capillus* (a capite?) et *foedus* (3ae declinationis „a foeditate porci"), tertii denique exemplum *lucus* (a lucendo) afferre – vix – licet. Namque apparet, non derivationem in his spectari, verum mutationem quandam vel potius discrepantiam in forma verbi neglegi potius quam observari; tam in medio hoc exstat: *urbs* < *orbis*, *puteus* < *potus*, quam „in ultimo verbo": *foedus* III < *foedus* II, *lucus* < *lucere*. Ex omni libelli tenore

1) Paucis de his iam egit Steinthal l.l. ² I 343.

2) „Bellum" tamquam neutrum singulare adiectivi?

neque minus ex Varronis etymis manifestum est, veteres talia spernenda duxisse neque perspexisse, has mutationes in fine verbi primo aliquid semper significare et saepissime sensus transitum efficere [1]). Inde factum est, ut vulgo haec etyma satis crasse mutationi semasiologicae internae servire viderentur, cum tamen puram (l.l. VI) eiusdem condicionem non intellegerent. Hoc Augustinus docet l.l. VI verbis, ceteroquin sagacibus: „illud magis pertinet „ad id quod nunc volumus ostendere (sc. abusionem), quod „cum piscina dicitur in balneis, in qua piscium nihil sit „nihilque simile piscibus habeat, videtur tamen a piscibus „dicta propter aquam, ubi piscibus vita est. ita vocabulum „non translatum similitudine, sed quadam vicinitate usurpatum est. quod si quis dicat homines piscibus similes „natando fieri et inde piscinae nomen esse natum, stultum „est repugnare, cum ab re neutrum abhorreat et utrumque „lateat". (In his non dubito, quin multa Augustino ipsi debeantur). Augustinus tamen in sua explicatione a vero haud multum afuit.

III. Apud Varronem et posteriores sola fere substantivorum etyma invenies, rariora adiectivorum et verborum: illa pars multo maior est quam haec. Pronominum et coniunctionum enodationes tamquam difficiliores necnon opera minus dignae ostenti instar sunt [2]). Verum enim vero nihil omnino indicio est, Varronem hac in re diversas condiciones substantivorum, adiectivorum, verborum inter se dignovisse. Vide tamen supra p. 218 de L.L. V 93.

---

[1]) Uno tantum loco Augustinus talem discrepantiam observavit: „— aut per id, quod continet, ut si quis horreum mutata littera „affirmet ab hordeo nominatum". Quod in consonantibus haec discrepantia occurreret, quas veteres semper vocalibus melius respexerunt, Augustinus ipse eam notavit. Varro, ni fallor, tale quid non gravatus fuisset. Ideo Reitzenstein *Ioh. Maurop* p. 74, A. 1 etiam sequentia verba ipsi Augustino tribuit. De re universa cf. App: II.

[2]) Cf. eximia explanatio coniunctionis „atque", quae virtute et novitate inter omnes longe eminet. ap Gell. X. 29 et supra p. 165, A. 1. Cf. Pauli *Principien* etc. p. 247.

Nos iam omnia etyma, quae ad hanc rem quantulicumque visa sunt collegi, comparavi, separavi. In quibus ea vocabula, quorum forma quov is modo mutata erat, et reliqua nusquam discrevimus, quia id fructum apud Varronem ostendebat nullum. Verba vero a nominibus divisimus; substantiva ab adiectivis (v. supra p. 221, III), quorum utrum que apud Stoicos τὸ ποιόν τῆς οὐσίας designat, distinguere, nihil valet. Utramque igitur partem describemus, nominum comparantes cum doctrina ab Augustino exposita; in fine demum perlustrare conabimur generalia: vitia, virtutes, notiones ut ita dicam ἀδιαφόρους.

Varro id, quod locis compluribus affirmat, compertum sibi habet, multa vocabula sensum habere arctum atque angustum, eaque post saepius ad alium sensum eumque auctum et ampliorem transferri [1]), ita ut postea significatio illa primitiva in posteriore aut contineatur aut non iam contineatur. Dicit enim (L.L. VI 55): „itaque si quis r e fallit „(sc. *falli* a fando derivatur), in hoc non p r o p r i o n o m i n e „fallacia, sed tralaticio, ut a pede nostro pes lecticae ac „betae." Quattuor locis hanc rem brevius tangit, eodem transferendi verbo usus: sc. L.L. V 32, 77, VI 64 in. et VII 23 i.f. Semper his locis sensus a r g u m e n t u m minuitur, a m b i t u s augetur. Hoc idem nimirum etymologia ductus Cicero quoque agnovit, ubi dicit (*Tusc.* II 18, 43): „atquin vide, ne, cum omnes rectae animi adfectiones „virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, „sed ab ea, quae una ceteris excellebat, omnes nominatae „sint. Appellata est enim ex viro virtus".

Huius loci est, mentionem facere *etymologiae popularis*,

---

[1]) Cf. etiam e.g. Gell. XIII 30, 1 qui iam meliuscule dicit: „animadvertere est, pleraque verborum Latinorum ex ea significatione, d e „qua nata sunt, decessisse vel in aliam l o n g e vel in p r o x i m a m, „eamque decessionem factam esse consuetudine et i n s c i t i a t e m e r e „d i c e n t i u m, quae (?) cuimodi s i n t non didicerint". Cum his conferas, oro, Varronis ratiocinationem, L.L. V 3 i.f. minus historicam!

ut dicitur, quam Varro uno loco agnoscit (V 146): „Forum „Cuppedinis a <Cuppe>dio, quod multi Forum Cupidinis „a cupiditate".

Ut in rebus phoneticis, hic quoque nonnumquam invenimus proportionem quandam semasiologicam observatam: „sed canes, quod latratu < signum dant >, ut signa canunt, „canes appellatae" (VII 32), et ubi de voce „mane" disputat (VI 4): „Graeci quoque — solent dicere φῶς ἀγαθόν". Cf. etiam Prob. ad. Verg. Buc. VI 31 et Plin. N. H. II 3 ubi dubio procul explicatio vocabuli *mundus* in duabus significationibus facilior evasit propter graecum κόσμον eadem designantem.

Iamque igitur videamus, quae ratio inter Augustini rationem (v. supra p. 54 et imprimis App. II) et Varronis etyma intercedat. Illic distinguuntur: 1 similitudo soni, 2 similitudo tactus (sc. sensuum), 3 similitudo rerum (Aehnlichkeit), 4 vicinitas (abusio?), quae varias habet partes: *a.* per efficientiam; *b.* per effecta; *c.* per id quo continetur; *d.* per id quod continetur; *e.* per abusionem (? cf. Reitzenstein *Ioh. Maur.* p. 74 A. 1); *f.* a parte totum; *g.* a toto pars; 5 per contrarium.

Primi generis exempla in capite de onomatopoeia attuli; *secundi*, quod sciam, in Varronis veriloquiis exemplum nullum exstat, quia a Varronis mente nimis alienum fuit [1]. Id quod in homine inconstanti, qualis Varro fuit, minime indicat, eum hanc rationem nusquam in operibus tractare potuisse et Augustini fontem in libello saepius laudato eum non fuisse, sed tantum eum haec hausisse e fonte graeco, cuius exempla utpote graeca haud aeque admittere posset.

Similitudinem autem aliquotiens memorat: cf. L.L. V 38, 101, 117, 167 et VII 61, 22. Sic eam definit (V 77): „— translata a terrestribus e x a l i q u a p a r t e similibus

---

[1]) Cf. Barth, *die Stoa* [2], p. 78.

„rebus", unde apparet, saepe aut nullam aut levem esse discrepantiam inter similitudinem et vicinitatem. Exempla sint [1]: *anguilla, caprea, cervi, hila, lingulaca, panis, pinnae, ratis, rorarii, sparus* (Serv. Dan. Aen. XI 682), *torulus, tutulus, vallum.*

Vicinitatis vero ordinariae exempla (ut *minutum, piscina*) apud Varronem frustra quaeres neque id temere; tenuis enim ista discrepantia numquam fere originem vocis obscuravit, qua de causa (c.f. e.g. L.L. V 93 i.f.) Varro eiusmodi veriloquia plerumque sciens nesciens praeteriit.

Subdivisionum vestigia his exemplis illustro: *a. farrago, omen, b. cuniculi* (R.R. III 12, 6), *gladius, pilum, c. urbs* (L.L. V 143), *d. mensa, e. munus* (?) (L.L. V 141), *f. temo* „appellatum a parte totum, ut multa" (VII 75, cf. V 155). Figurae sub *g.* memoratae vestigium non repperi (cf. tamen L.L. VIII 14 sq., ubi re vera derivatio describitur), cum de figura „per contrarium" sermo iam fuit.

Augustini classes substantiva dumtaxat enodant, eorumque nonnisi pars minor sub haec genera cadit: e.g. omnia substantiva, quae Varro a verbis derivat, tam in doctrina quam in eius exemplis Augustinus fere praetermittit. Quae cum ita sint, inde colligere poterimus (si quidem fons eius plenus fuerit) aut Augustinum fontem suum (Varronem ?) turpiter breviasse ac decurtasse, aut Varronem in coniecturis istius doctrinae praeceptis non ductum esse verum omnino magis, licet eam comperisset, sensum communem unicum habuisse, quem in quoque vocabulo consuleret [2]. Id quod iam a priori, ut dicitur, in Varrone nostro videtur veri esse simillimum. In Aelio Stilone de eadem re iam disputavimus (v.s. p. 111).

Iam vero paucis videamus, quae rationes ac viae diversae nominum impositionis excogitari possint, ut inde Varronis comparationem instituamus. Hoc inde schema adipiscimur:

[1]) Cf. de hac re paucis Reitzenstein l.l. p. 35, A. 3.

[2]) V. supra p. 96.

1. Machinantur rem τὸ δόρυ, eique nomen quaerunt. Quid efficit? Ut quis pereat efficit. Inde derivatione a verbo pereundi vocatur: perilum > pilum, „verderver". Novum hoc modo consequuntur vocabulum.
2. Habent rem τὸ δόρυ, cui nomen iam est * tapsum. Appellatio iam exstans „perilum", significans „verderving" ab eo quod efficitur, id quod efficit nescioqua de causa designare incipit: perilum igitur a „verderving" > „verderver". Internam hic habemus sensus mutationem. „Pilum" vox nescioquo modo magis placet populo itaque * tapsum ex sermone repellit, sola posthac indicatura τὸ δόρυ; aut iuxta * tapsum vitam degit, vulgo significationem habitura vel minime ab alterius recedentem. Novum verbum hoc modo non creatur.
3. Machinantur rem τὸ δόρυ, eique rimantur appellationem suam. Vocabulo iam in lingua obvio *pilum* „verderving" rem designant „per effectum". Ne hac quidem ratione novum nascitur vocabulum. Cf. e.g. *funus* ap. Serv. Aen. VI 224.
4. Exstat τὸ δόρυ nomine „pilum". Amplius non quaerentes neque condicionis tam soni quam significationis habita ratione etymologiae sectatores vocabulum *pilum* designans τὸ δόρυ cum alio verbo coniungunt, quocum primam, quod minimum sit, habeat litteram communem. (Verborum „primigeniorum" L.L. VI 36 condicionem hoc loco non respexi, quia Varro hanc quaestionem nusquam in operibus serio cordi habuit).

Rationes 1—3 in vera lingua occurrunt, ex quibus Varro primam et secundam non novit, tertiam eamque superioribus re vera rariorem agnoscere videtur. Id quod quarto loco descripsimus, rationis nomine dignum non est, immo rationis est negatio. In hac ipsa Varro studium omne posuit! Forsitan dixerit quis etiam primam rationem Varronem saepius ostendere, quod multa vocabula ab eo explicandi gratia posita in vera lingua non exstent. Cf. e.g. *far* (ubi *far* = „het gemaakte" in lingua latina non obtinet) a fa-

ciendo (L.L. V 106). At propter certae derivationis scientiae absentiam absolutam omnia eiusmodi ad quartam classem, id est ad chaos, redeunt. Hinc igitur colligere possumus, Varronem sensu historico maximopere ac saepissime caruisse.

Ut breviter haec complectamur: cum derivationem a non-derivatione, ut ita dicam, non distinguat, hinc eius notiones semasiologicae nimis intentae sunt nimisque magnum factorum numerum amplectuntur — nam fere rationem per suffixum expressam non suffixo conscius tribuit, quamvis ut Romanus eorum vim bene teneret, sed ipsi vocabulo obtrudit —; illinc significationis ipsum transitum nequaquam penitus perspicit. Omnis significatio secundum Varronem certo temporis puncto constituitur, posthac integra et immutata plerumque permanet [1]); omnia fere torpent atque intermortua sunt; quotiens mutationem aliquam notare videtur (cf. L.L. V 3 i. f.), re vera discrepantiam videt, quae non paulatim sed subito facta sit et quasi saltu dehiscat; denique, ut exspectare par est, omnia formata sunt et excogitata ab hominibus ratione usis: non una cum genere humano naturae cursum sequuntur in mutatione perpetua atque aequabili, quae hominum mentem multis partibus tamquam speculo reddat, ita tamen, ut se ipsa mens humana ibi non videat.

Sponte et quasi invitis nobis hoc loco succurrit voluntas, ut paulisper Augustini (i.e. Varronis ? v. App. II) doctrinam sensu amplificemus atque ita demum virtutes eius expendamus.

Tria in hac re distinguantur necesse est: *a.* id quod vocatur „Urschöpfung", *b.* ea ratio, qua significatio in eodem vocabulo mutatur, unde nova oritur appellatio (sensu sc. hoc: unitas soni cum significatione coniuncti), *c.* nova impositio per formae mutationem, i. e. per derivationem etc. A. De etc. p. 227 B. en C..

B. De primo genere hoc loco nobis disserendum non est,

[1]) Id quod in rebus phoneticis non videre non poterat, significationis respectu minus vehementer ei inculcabatur.

quamquam Augustinus in fine capitis VI libelli *Principia dialecticae* (v. supra p. 55 sq.) de eo disputat: in Varrone enim praeter onomatopoeiam de eo sermo nusquam est.

B. *Alterum* vero *genus* has observationes evocat. Vulgo ea via fit, ut aut significationis argumentum minuatur, augeatur eius ambitus, aut huic rei contrarium usu veniat. Primo igitur in posteriore significatione prior adhuc continetur, aut istam continet, deinde una iuxta alteram paulisper vivere potest, ita tamen ut plerumque alterutra postremo evanescat. Itaque non subito sed paulatim ac sensim id, quod Germani vocant „Schwerpunkt" vel potius hodie „Blickpunkt", movetur: e.g. *hordeum* secundum Augustinum: „gersteschuur > schuur" sensu generali. Idcirco illud „*vicinitas*" apud Augustinum (supra p. 57 et 223) optime hercle electum est et Aristotelica quidem natura plastica haud indiget [1]).

Iam vero una Augustini classis: *a parte totum* eiusque contrarium, si paulo ampliorem sensum ei tribuas quam apud Augustinum habet, ex omni parte sufficit. Namque id, quod M. Bréal (*Essai de sémantique* 1897 p. 118 sqq.) appellat: la restriction du sens (sc. sensus imperii, beteekenisomvang), „a toto pars" est, quia minus late patet posterior significatio, „a parte totum" vero, quia copiosiorem habet summam; atqui „l'élargissement du sens" (ib. 128 sqq.) utrimque videlicet contra comparatum est. Hae autem formulae franco-gallicae errorem quendam afferre possunt: id tantum observant (sc. significationis „omvang"), quod *rem ipsam*, quae fit, *sequitur*; nam id, de quo re vera agitur, est ipse sensus quae continet, significationis ergo „inhoud".

Quid enim? Si in Breali exemplo lat. *species* (francog. *épice*) a significatione „soort" postea illam adipiscitur „kruidensoort, kruiderij", nihil aliud fit, nisi ut mens humana ibi, ubi „soorten" unice vel maxime „kruidensoorten" sunt, audito „soort" vocabulo statim id intellegat

1) Cf. Steinthal l.l. [2] I 196 sqq.

et ceteras qualitates sponte addat; post tempus non iam necesse est ut addatur aliquid: *épice* iam est „kruidensoort".

At contra in Breali = „élargissement du sens"? Hic quoque sensus proprie minuitur, ita tamen ut mens humana non demat[1]) aliquid sed potius id, quod iam colore et vita careat, non curet. Si *pecunia* a significatione: „(vee) > betaalmiddel door vee" transit in alteram hanc: „betaalmiddel", notionis quidem partem amittit, neque tamen populus id animadvertit. Mens humana igitur supplet, non demit. Id in rei natura positum est. Nam ut in nominis impositione homini sufficit notionis quandam partem nomen usurpare atque nomen initio nihil aliud fuit quam revocandi instrumentum, ita etiam in nominis historia res sese habet: in initio mutationis semasiologicae mens ea libenter supplet, quae nomen non expresse designat. Demit vero conscia numquam: nempe in nominis etiam impositione fieri non potest, ut nomen plures, quam notio habet, partes contineat atque homo demptione inde ad verum numerum nomen redigat. Haec igitur figura recte dicatur: *a parte totum*, quod attinet ad notionem, rem non visibilem.

Alteram habemus speciem, ubi de rebus visibilibus agitur: e.g. *mucro* > *gladius* (Augustinus), et lingua batava: *kop* > *man*, *zeil* > *schip*, etc. Non stabilis hic mutatio exstat, quod prior significatio re non evanescente ipsa semper manet. Sensus „omvang" non minuitur, quia utrumque arcte inter se iunctum est: ubi caput humanum, ibi semper homo. Neque magis sensus „inhoud" augetur; quippe homo non species est capitis arctius descripta. Cum priore igitur specie posterior

---

[1]) Alio modo hoc nobis persuadere possumus. Si re vera homo nomini partem adhuc *vividam* demat, alibi addat necesse est: sin minus, non intellegitur. E.g. si „schip" est „domus in aqua", ei nomini addimus aliquid ut „per similitudinem" machinam quandam indicemus, quae, ut navis trans mare, per aerem navigat, dicentes: „luchtschip". Nova igitur appellatio est, nec iam significationis mutationem habemus. Inde iam elucet, nominis significationis partem (sc. in vocabuli forma eadem) naturae cursu in omnibus hominibus mori posse, non ab hominibus consciis posse mutari, i.e. a paucis eripi omnibus.

hac una re comparanda videtur, quod ut illic *notio res est una, et tota* a mente ex natura abstracta atque sibi informata, hic res est *una et tota*, quae sensibus aperta inde tam menti quam ipsis sensibus *individua* obversatur. At utrobique in nomine ea maxime pars sive a mente sive a mente per sensus eligitur, quae aut gravissima aut maxime videatur obvia. Quae cum ita sint, cardo quaestionis in sensu ipso (*begripsinhoud*) vertitur, in cuius tantummodo *extensione* vel *suppletione* mens humana *activam* se gerit.

Quid istud „totum" est? Numquamne tam in mentis quam in sensuum imperio mutatur? Minime. Historiae cursus rebus in omnibus menti humanae nova „tota" coagulare, vetera dissociare valet. Si vero haec duo: „a parte totum" et „a toto pars" in unum coniunxeris, invenies: „a parte pars", cuius figurae duo membra per medium illud tantum intellegi possunt. [1])

Quod duobus exemplis illustrabo, uno ex rebus visibilibus, uno ex alteris petito. Unum est germanum: „Zaun, tuin" primitus significans: id quod cingit, deinde: totum illud, sc. quod cingit cum eo quod cingitur, hodie in lingua batava tantum: id quod cingitur. Alterum illa „pecuniae" historia nobis praestat. Quid suffixum *-nia* sibi voluerit, haud omnino certum est. At hoc nihil ad rem. Fac „pecuniam" idem significasse atque pecu. Hunc habemus transitum: vee > vee als betaalmiddel > betaalmiddel bestaande uit vee (hoc „totum" nostrum est) > betaalmiddel. Eodem modo in verbo latino „auscultandi": hooren > hooren (gehoorzamen) > (hooren) > gehoorzamen > gehoorzamen.

Eandem viam parallelam hic indagamus, quam supra invenimus. In rebus visibilibus illud „totum" certo temporis puncto exstitisse *debet*, in alteris nimirum nec tempore nec loco definiri potest. Hic igitur, nisi omnino fallor, habemus Augustini classes: *per id quo continetur*

[1]) [De his rebus docte disputavit W. C. van Helten *Over de factoren van de begripswijzigingen der woorden*, Groningen 1894, cf. p. 5—8, ubi quaedam huc spectantia invenies, id quod nunc demum vidi.]

et *per id quod continetur*, hic *per efficientiam* et *per effectum*, h.e. sensu ampliore quam Augustini exempla ostendunt. Ibi partes et totum simul sensibus aditum praebere debent, itaque solum categoria invenitur *τοῦ εἶναι*; hic demum tam *τὸ εἶναι* quam unitas *τοῦεἶναι* et *τοῦ μὴ εἶναι* sc. „fieri". Neque minus ibidem offendimus rationem: *activum et passivum* [1]) in categoria „fieri", sc. oorzaak: gevolg, reden: doel, vervaardiger: vervaardigde, et in categoria „esse", sc. eigenaar: bezit. Hic „totum" illud nihil est nisi vinculum, in mente tantum humana exstans, neque tempore nec loco terminatum [2]).

In rebus visibilibus nimirum habemus etiam rationem *loci*: maius — minus; in utrisque vero temporis dumtaxat: prius — posterius. Et re vera antitheton activum: passivum extremum redit ad illud prius — posterius Ita comparatum est, ut in rebus non-visibilibus lingua eo tendat, ut ex similitudine discrepantiam creet temporis; itaque: *zijn* > *geworden zijn* > *worden* et *hebben* > *gemaakt hebben* > *maken* [3]). Haec causa est, cur eius generis (sc. rationis: *eigenaar-bezit*) exempla rariora exstent.

Haud scio an notandum sit in Augustini dispositione eas solas figuras, quas hoc loco omnium summam esse demonstravimus (p. 227 sqq.), tamquam transitum enuntiari: „*a* parte totum etc.", ceteras, quas eius esse quasi divisiones minores invenimus, aliter: e.g. „*per* effectum", non „*ab* efficientia effectum" velut si initio subdivisionum loco (rectissime!) prae duabus istis tunc iam habitae sint.

Nimisne igitur audax videbitur coniectura, Augustinum quidem (vel eius fontem?) expositionem primitivam (philosophi cuiusdam graeci?) parum intellexisse ([1]) p. 231),

---

[1]) Analogon exstat in recentiorum quorundam explicatione nominativi et accusativi tamquam casus activi et passivi; cf. e.g. K. Brugmann, *Kurze Vergl. Gramm.* § 860 Anm.

[2]) Id quod manifestum est in quibusdam exemplis rationis: „vervaardiger-product", e.g. Flick: flikje, Kiek: kiekje. Si bene hanc rem tibi informaveris, profecto elucebit, eo tantummodo transitum posse fieri, quod is qui fecit et id quod fecit in „totum" illud coniunguntur.

[3]) Etiam actio statui in his rebus praeponitur, v. infra p. 236 in.

primam vero doctrinae rationem istam genera aliter disposuisse et exemplis aptioribus illustrasse, ita ut eiusmodi aliquid disseruerit quale supra descripsimus?

C. Postremum, quod attinet ad genus *tertium*, nominis impositionem per praefixa, infixa, suffixa, non evidenter patet Varronem aut Augustinum eius naturam *satis* perspexisse. Hic etiam, quam supra (p. 228) memoravimus, figura „a parte (sc. nominata) totum" (sc. cogitatum ut intellegas) sola suum habet locum. Ex notione igitur quadam ultro certam partem eligimus eminentem [2]) et huic notioni prae ceteris notionibus et huius notionis partibus aliis maxime propriam, ut ex ea nomen construatur [3]). Quomodo? Ita, ut ea pars una cum enuntiatione rationis, quae inter istam partem et totam notionem intercedat, coniuncta nomen efficiat. E.g. — ut veterum cogitata imitemur necnon paululum elaboremus — notio τοῦ ἰατροῦ hoc praecipue habet, ut is „medeatur"; suffixum *-icus* rationem activam indicat, *med-icus* ergo quasi „genees-doener" [4]).

Alterum exemplum habes L.L. VII 54: „carēre a carendo, — ut careat spurcitia"; carendi (III^ae coni.) notio habet consecutionem istam; suffixum *-ĕre*, oppositum alii *-ēre*, rationem indicat activam-passivam, sive factitivam-inchoativam; nomen igitur est: *car-ĕre*, quasi „vrijzijn-maken" [5])

[1]) Nam id, quod re vera significationis mutatio est, priore sive superstite sive non superstite — hoc nihil ad rem —, Varro et Augustinus censent esse nominis *impositionem semel factam*: cf. „mucro, piscina" ibid. apud Augustinum.

[2]) Id, quod „kenmerk, Merkmal" dicitur a nostratibus et Germanis. Cf. de hac re e.g. Bréal, l.l. p. 193, 196 sqq.

[3]) Est igitur, ut in philosophia Kanti dicitur, forma iudicii analytici, cf. Paulsen *Im. Kant*[5], p. 140—147.

[4]) In hac re igitur formula, „per aliquid" apud Augustinum unice rectum est; non habemus mutationem ab aliqua re ad aliud quid. Augustinus forsitan duas res distinctas intermiscuerit? V. supra p. 230.

[5]) Hinc rursus iudicare possumus, quam paulum revera derivatio et compositio primitus discrepaverint. Itaque tam apud Stoicos quam apud Augustinum bona fortuna potius quam bono consilio haec duo — rectissime — non restricte separantur.

Quae quamvis antiqui dubio procul haud ita prolixe atque expresse sibi repraesentaverint, tamen aliquatenus praesagisse videntur. Nam prorsus idem habes in specie: *per similitudinem rerum*, ubi diserte Augustinus (l.l. c. VI initio) talem viam ingreditur.

Notionis autem partes, ex quibus nominis materia desumatur et desumi possit, sunt:

a. *in rebus visibilibus et inanimis*: locus, tempus, partes, materia.

b. *in rebus visibilibus et animatis*: praeter superiora etiam actio et passio (quae includunt: oorzaak et gevolg, reden et doel), eadem κατὰ τὸ εἶναι: sc. possessor et possessum, qualitates „mentales" et corporales.

c. *in rebus non visibilibus*: superiora, exceptis rebus visibilibus. Videlicet multa ex hisce denuo dividuntur: ut locus et tempus κατὰ τὸ εἶναι (alicubi, hodie), κατὰ τὸ μὴ εἶναι (alicunde, praeteritum), κατὰ τούτων σύνθεσιν, τουτέστι γίγνεσθαι (aliquo, futurum).

Semper tamen ista ratio *directa* sit necesse est, quae inter notionem et partem exstans appellationi servit: ipsa p a r s sit, non p a r t i s p a r s. Quare etiam instrumentum numquam in impositione nominum adhiberi potest; ut puta, illud Varronis (R.R. I 31, 5): „farrago quod ferro caeditur" [1]) vitiosum est, quia aut „caeditur" aut „ferro caeditur", numquam vero „ferro" solum nominis impositioni suppeditat.

Ut paucis denique haec complectar — vidimus, Augustini (Varronis?) rationes tam in significationis mutatione (B: figura *a parte totum* etc.) quam in derivatione (C: figura *per aliquid*) totam rem e x i m i e evolvere, d u m m o d o Augustinum (Varronemque?) rerum nucleum parum intellexisse ideoque turbasse credas, ac deinceps, ut ad veterem

---

1) Hocine loco rursus habemus compositionem: *ferro-ca* per metathesin (?) > *ferrago*?

illum philosophum graecum (?) ascendas, sensu ampliore tradita accipias.

Iam vero parte theoretica apud Augustinum (Varronem ?) obvia perlustrata atque perpensa recenseamus, quae huiusmodi genera apud Varronem inveniuntur. Quae si Varroni non tamquam firmae doctrinae praecepta visa sunt, at certe in quoque veriloquio talem vocis originem probavit; quare nimium desperemus, si ex his divisionibus nihil omnino colligi posse arbitremur. Prius igitur de nom inibus, deinde de verbis agendum erit.

A. Nomina.

Iam inde ab initio duas classes (infra 1 et 2) excipere par est, quas tamen Romani haud ita accurate, ut nos hodie facimus, segregaverunt, nomina dico quae a personis vel rebus mythologicis aut historicis originem ducant. Ubi vero nos hodie aliquid ad fontem mythologicum revocamus, ibi videlicet Romani in media historia se versari opinantur. Quamquam in ipsa rei natura non positum est, in verbis (= ῥήμασιν) huius originis apud Varronem nullum exstat vestigium.

1. *Historica* igitur indicamus, ut puta: Aequimelium [1]), amineum (ab Amineis Pelasgis, Schol. Bern. et Brev. expos. Verg. Georg. II 97), Aventinus, Baiae, Caelius, Calpurnius, Campania, macellum, Oenotria, Palatium, Saltatores.
2. *Mythologica* e.g.: Asia, Europa, Martius (Censorin. *de die nat.* 22, 9: „et quidem (sc. Fulvius et Iunius auctores sunt) duos primos (sc. menses) a parentibus suis nominasse (sc. Romulum), Martium a Marte patre ; — Varro „autem — Martium mensem a Marte quidem nominatum „credit, non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens „Latina bellicosa." Hic igitur optime Varro se a nominis impositione historica, semel facta a quadam persona, alienum esse diserte profitetur. Aliunde eandem rem

---

[1]) Varro L.L. V 157: „— quod aequata Meli domus —", melius utique quam Cic. *de dom.* 101 : „— aequum accidisse populus Romanus „Maelio iudicavit".

ostendit in veriloquio Latii (ap. Serv. Aen. VIII 322), ubi haud minus ineptam illam explicationem „quod illic „Saturnus latuit" a Vergilio prolatam recusat, ipse autem proponit: „quod latet Italia inter praecipitia Alpium „et Apennini". Hic Varro noster multum, hercle, ut superioribus ita epigonis praestat.

3. *Locus*, *ubi*: e.g. latro (relative), Salentini, vici; *quo*: cernuus, fiber; *unde*: Luca, obscaenum, Tiberii.
4. *Actio* (*activa* vel *passiva*): Iuno, Latium, Lucina, Luna, mane, mundus, nox, palla, pater, pecus, peregrinus, plaustrum, praes, praedia, prodigium, rorarii, sidus, sors, tutulus, vomer, urna. *Scientia vel ars*: medicus (cf. Steinthal l.l.² I p. 212, 5 sqq. et L.L. V 94. in.)[1]
Creator, causa: pretium.
Finis, effectus: arma, formido, pilum, puteus, sera (negative), Vacuna.
5. *Qualitates* (sive temporariae, sive perpetuae): aper (ratione haud satis directa), mendicus, mensa, Numerii, palla, palus, vietus, vitus, vinum; semen (relative). *Q. visibiles*: asta, fiber, frons. Luca. Etiam *potestas* vel *ius:* nefarii.
6. *Partes corporales*: curculio, mucro.
7. *Materia*: lectica[2], laena, lorica, torus.
8. *Id, quod possidet aliquis*: curculio, Luca, Lucina, oppidum.

Propter rationes haud satis propinquas totae hae classes vitiosae sunt[3]:

9. *Instrumentum*: farrago, Ops., oscines.
10. *Res minoris momenti*: funus (Serv. Aen. VI 224).

---

[1]) Notandum hoc loco est: „Tullus — *ominis gratia* quasi tollendus" (Inc. de. praen. 4, cf. Fun. fr. 345). An Varronis?

[2]) Varro L.L. V 166: „l., quod legebant, unde eam facerent." Haec ratio nimirum iusto est longior, nisi forte credas Varronem „* lectum" tamquam stramentum accepisse sub forma coniecturali. Quod equidem numquam mihi persuadebo. Hic quadamtenus latet Platonis ῥῆμα v. supra p. 27.

[3]) Quippe quae contineant iudicia synthetica (v. supra p. 231, 2 et 232).

B. Verba.

1. *Actionis subiectum* agens vel patiens: horreo (L.L. VI 45), sc. per similitudinem, ut Augustinum imiter = „gerstachtig doen."
2. *Actionis obiectum*:
 a. propter id, quod prius obiecto fieri debet: cernere (L.L. VI 81): „ab eo, quod cum quid creatum est, tunc „denique videtur" (itaque opponitur rationi factitivae: creare = efficere ut cernatur, ut carĕre = efficere ut careat, L.L. VII 54; v. supra p. 231).

b. propter statum eius, quem effectus verbi *intransitivi* (!) tangit: latrare (L.L. VII 32): „et quod ea voce indicant (sc. canes) noctu quae latent, e.q.s." [1])

c. propter qualitatem inhaerentem obiecto: nominare (L.L. VI 60).

3. *Qualitas* actionis: laetari. [2]).
4. *Actio praecedens* = causa: auscultare.
5. *Actio*, quae *eodem* tempore fit: paveo, spero (cf. spes L.L. VI 73), volo.
6. *Actio sequens* = *effectus*: carĕre.
7. *Modus vel instrumentum* (cf. sub 5): falli, oro, video.
8. *Ratio* vel id quod dicitur *„factor" actionis*: vigilare, volo [3]).

Nunciam v i t i a semasiologica, quae in Varronis etymis

---

[1]) Analogon habes in nominibus: sc. propter „passionem" illius, contra quem res adhibetur in *pilum* < *pereundo* (L.L V 116).

[2]) *laetari* (v. supra p. 124 A., L.L. VI 50) et *palus*, -*udis* (V 26) ambo habent illud: „latius diffusum" quod neutrobique satis aptum est. Nimis audax est coniectura, graecum χωρεῖν (sensu capiendi) explicasse χαίρειν, ἑλεῖν (eodem sensu) in etymologico quodam ἕλος, et postea coniuncta esse ea de causa (e.g. χαίρειν ἀπὸ τοῦ χωρεῖν [aut tantum errore graphico *αι* : *ω* ?] ὡς ἕλος ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν); denique vero χωρεῖν male versum esse tamquam *ire*, *se extendere*, (*latius*) *diffundi* ?

[3]) Pessimi sunt exempli quae conferas oro in hac re praeter iam laudata: *col/is* (a colendo. Cur non itidem *campus*? L.L. V 30), *disert u s*, *extemplo*, *magmentum*, *sidus*! Quam inepta!

obvia sunt, denique virtutes recenseamus. Saepe illa his librari patebit, neque tamen nisi raro disceptare valebimus, cur modo bene, modo prave in eiusdemmodi difficultatibus iudicaverit.

Vitia.

1. Supra (e.g. p. 232) iam fusius de eo vitio locuti sumus, quo Varro saepissime rationem inter id quod dicitur „kenmerk" et notionem totam haud satis propinquam et arctam posuit. Ut fit, huius rei causa in eo posita est (v. supra p. 209 e.a.), quod antiqui non satis e verae linguae studiis empiricis profecti sunt, sed linguae condiciones obtruserunt, non ex illa elicuerunt. Si tamen genus „instrumenti" in nominibus (sub 9) malum est, non est quod ei in verbis (sub 7) obiurgetur. Namque in nomine actionis quam instrumenti categoria propior et gravior est, in verbo vero ista iam in ipso verbo posita est, ita ut instrumentum, per quod actio vel status exstat, suum ius iam vindicare possit; sic nostrates dicunt: voeteeren = te voet gaan, pennen = met de pen werken (non: met de pen zijn = een pen hebben, v. supra p. 230 et A. 3 ib.).
2. Id quod ad notionis ambitus partem tantummodo pertinet, nomini materiam suppeditat, neque tamen — quo id excuset — Varro ibi suspicari videtur, hinc nomen profectum imperium suum auxisse; eximie hoc vitium illustrat: *densum* (L.L. V 113).
3. Id nomen efficit, quod aliis rebus haud minus proprium est: aedes, agnus, cervi, far, Faunus (?), mane, merula (?), poena, puteus, quaerere, spica, triticum. Idcirco etymologia prorsus evadere solet exsanguis: mane (L.L. VI 4), peregrinus (V 33), sidus (VII 14). Bene Quintilianus hoc perspexit, ubi dixit (*Inst. Or.* I 6, 34): „—etiamne 'hominem' appellari, „quia sit humo natus (*quasi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen „imposuerint terrae quam sibi*)". At ipse Varro hic non

deest (L.L. VII 39 et 40) „si ab Libya dictae essent „Lucae, fortasse an pantherae quoque et leones non „Africae bestiae dicerentur sed Lucae; neque ursi „potius Lucani quam Luci. Quare ego arbitror e.q.s."

4. Primo vitio cognatum videtur illud, si quis non in categoria eligenda, sed e.g. in ipsius verbi materia adhibenda fallitur; sic, quotiens in verbis transitivis non subiectum aut obiectum hoc officium praestat, sed etiam aliorum casuum rationes, id quod eadem (v. sub 1 et p. 232) de causa linguae et logicae natura vetat: e.g. arca (V 28, si modo „ab" est ἀπό, non ὑπό), campus, caput, forum, nefarii, principes, Quirinus (Tert. *ad nat.* 2, 9), sors, Vacuna, ver.
5. Paulum a superiore distat ea figura, quotiens a rebus forte adiunctis (bijomstandigheden) nomen petatur: e.g. Auli (an = „de begeerden"? Inc. de praen. 5), fur, Gaius, messis, palea, principes, Proculus, Servius, sors (L.L. V 183), spica, Venus, Volero.
6. Denuo superioribus affinis est ratio, in qua notionis pars principalis alibi sit, i.e. appellatione non exprimitur: cervi (?), cernuus, falli, Graccus, Lauretum (!), lucrum, magmentum (!), oppidum, Ops (August. C. D. VII 24), profanum, puteus, quaerere.
7. Res secundi ordinis at tamen necessaria non in vocabulo locum habet: fana, fiber, rura, sol.
8. Nimis abstracta, ut dicitur, interdum veriloquia sunt: fundus, pecus (V 95 alterum), spes, spica, ver.
9. Duplex origo semasiologica ponitur: circus, falli, latro oppidum, rura (v. App. I).
10. Ordo inversus (v. s. p. 202) ac rei contrarius accipitur: facere (a facie, facies a faciendo dubio procul L.L. VI 78), formare, pecu (V 95: pecunia < pecu, pecus propter pecuniam !).
11. Radicis notionem tantum in doctrinae expositione novit: usu semper vocabulum aliud ab alio derivatur, numquam utrumque ab eadem radice (passim).

12. Significationi passivae nimium indulgent (at cf. re vera hoc modo: *redux, tradux*): aedes, capides, conum, far, fere, fiber, granum, oculi, palla, rapa, sparus, vallum (κατὰ ἀντίφρασιν), terra [1]. Haec duo (11 et 12) cum demonstrant, tum excusant derivationis doctrinam in cunabulis etiamtunc iacere.
13. In vocabulis plerumque vetus significatio adhuc exstare putatur, nullus fere transitus ponitur per temporum cursum factus: cf. sors (VI 65), vilicus: villa (R.R. I 2, 14).
14. Duae res minime cohaerentes in unum vocabulum conflantur: Agrippa (Gell. XVI 16, 1, Plin. *N. H.* VII 45).
15. Significatio truncatur propter etymologiam: horreo, munus (aliter quam sub 2).
16. Etymologiae gratia significatio primitiva inepte turbatur: e.g. extemplo (L.L. VII 13).
17. Significationes haud satis attente observabant ac distinguebant, cf. — si modo hoc Varronis iam est — Augustinus l.l. de: „minutum — parvum". Dicit enim: „sed haec abusio vocabuli in potestate „loquentis est, habet enim parvum ut minutum non „dicat" (!), quasi ex omni parte similia sint.

Virtutes.

1. Interdum in his rebus semasiologicis diligentiam offendimus magnam, immo nimiam interdum atque immodicam (at v. supra sub 11) cf.: ager, consul, conticinium, delicuum, Iuno, Lucina, tutulus, Venilia (!).
2. Saepe Varro intellegit, imprimis a rebus visui obviis atque in usu cottidiano versantibus nomina desumi (cf. supra sub 8): Aventinus, delirus, disertus [2], forum, horreo, Latium, Lauretum, legere, loqui, Luca, Velabrum, vomer, urna. Cf. L.L. VII 40 i. f.

---

[1]) Contra: diser*tus* (L.L. VI 64).

[2]) Quocum apte comparari potuit: „loqui a loco" (L.L. VI 56).

3. Est cum Varro ad vetustiorem culturae gradum ascendat conatu omnino laudabili: cf. campus, collis, cornua, lorica, mitra (!), multum (? V 177), pecunia, praemium, putare, torus vellus (R.R. II 11, 9).
4. Nonnumquam putat, significationem alicunde profectam se dilatasse (cf. supra 15): horreo, munus (L.L. V 141). Cf. L.L. VII 86 (V 3 i. f. ?) et Cic. *Tusc.* II 18, 43.
5. Qualitas huic rei magis propria quam aliis in nomen recipitur (cf. supra sub 3): arista, Graccus, granum (eximie R.R. I 48, 2), Luca (L.L. VII 40 ubi v.), Luna (V 68 „sola"), sol, termini (V 21 „maxime"), territorium (ib. „maxime"), video (VI 80 „maximus")'.
6. Saepe cogitatur nomen activum, etiam ubi agitur de rebus inanimatis, quae, ut revera [1]) fit, tamquam viva repraesentantur („personificatie"): arca (?), capitium, dolo, Faunus, fundus, latro.
7. Certa vocabulorum genera ex definitis societatis humanae coetibus *una* oriri putantur: cf. L.L. V 92 i. f., V 130 et sub 3 huius capitis, p. 238.
8. Proportionem semasiologicam nonnumquam exquirit: e.g. L.L. VII 4: tueri, ut videre = *ὁρᾶν* et *ἀμύνειν* vel *φυλάττειν*. [2])

---

[1]) Cf. e.g. hodie quoque Bréal l.l. p. 95 et Walde *Et. W.* s.v. *arca, arx.*

[2]) Praeter iam laudata lepida aut ingeniosa sunt: cogitare (= co-agitare), facere (cf. Walde s.v.), poena, semen, sermo.

V. Quid Varronis etyma ad cognitionem Romanorum pronuntiationis qualis tunc erat conferre possint.

Quae in hac re mihi notatu digna visa sunt, notavi. Multa non sunt variis de causis: *a.* quia (v. supra p. 211 sq.) tres tantummodo, raro quattuor litterae in vocabulorum initio alicuius momenti existimantur; *b.* quia Varro ingentes mutationes phoneticas comprobare non gravatur, ita ut tum solum, cum *crebro* eandem mutationem invenimus, non fides, sed tantum quaedam probabilitas iis tribuatur indiciis; *c.* quia pauca quaedam, quae ex iis colligere licet, aut conveniunt iis quae iam dudum inventa sunt, sin minus, ad ea refutanda et novam coniecturam stabiliendam haud satis valent (vide sub *b.*) [1]).

A. *ă* : *ĕ* (seges < satu V 37)?

AE. *ae* et *e* Catonis et dubio procul etiam Varronis temporibus non eundem sonum habuisse ex Varronis observatione (ap. Gell. XVI 12, 7) discimus: „idcirco „et M. Catonem et ceteros aetatis eius 'feneratorem' „sine a littera *pronuntiasse* tradit (sc. Varro)". Cf. etiam L.L. VII 96, ubi Varro „ponunt" et „dicunt" temere collocat, attamen propter exempla allata et „rusticos" laudatos potius vividam depingere pronuntiationem videtur.

---

[1]) De re universa cf. Sievers *Phonetik* [5] 1905, et O. Jespersen *Lehrbuch der Phonetik*, Leipzig 1904; de pronuntatione latina E. Seelmann *die Aussprache des Latein* 1885, H. T. Karsten *De uitspraak van het Latijn* 1890.

Cum *a* quandam habet communitatem: cf. laena (: *lāna*, V 133), laetari (: *lātus*, VI 50), maerere (: *marcere*, VI 50); cum *ai*, cf. praeda (*praida* < parida, V 178); cum *ĕ* (*ę̆*) cf. tressis (: *aes*, non *as*, IX 83)[1]; cum *ē* (= *ẹ̄*) cf. faenerator (: *fētus*, Gell. XVI 12, 7), cum *ē* (=*ę̄*?) cf. obscenum (: gr. σκήνη, L.L. VII 96).

Itaque *ae* forsitan etiamtunc dipthongus fuerit, composita ex sono inter *a* et *ĕ* (*ę̆*) sito, propiore tamen eo *a* sono (propter Varronem apud Gellium?), et ex semivocali *i̯* (= *i̯*? cf. *spīca*: *spē* (*ẹ̄*) L.L. V 37) perbrevi (? cf. *trāgula*: *traiciendo* V 115)[2] vel potius ex semivocali *e̯* (cf. *fētus*: *faenerator* = *ẹ̄*: *x*, *x* = *ae* (*ẹ* = *ẹ̯*?).

Cf. etiam Seelmanni disputatio p. 177 sqq., qui *ae* inter *ę̆* (*ę*) et *ē* (*ẹ*) collocat eamque notat signo *æₑ* (— = *e* in germanico *Erde* + *brevis e* in germanico *See*).

Inde concludit (p. 178 in.) „dass selbst in der niedersten volkssprache der Kaiserzeit der mit AE bezeichnete laut noch keineswegs mit *e* (= *ę*) identisch resp. „zusammengefallen ist". Cf. Jesperseni l.l. schema, quod proponit p. 54 et § 150, 152.

B. *b* iam paulum > *v* (bilabiale vel labiodentale spirans, cf. Lindsay *Latin Language* p. 49—51 et 78 sq.)? cf. *febris* a *fervore* cum metathesi (Varro ap. Non. p. 66 Lind.); conferre haud scio an liceat *glūma*: *glūbma* (R.R. I 48, 2, cf. Solmsen *Stud. z. lat. Lautg.* p. 18 sq.), et *ocrea*: *ob crus* (L.L. V 116).

C. *c* = *k*, cf. cartibulum (a gerendo V 125), Ceres (a gerendo V 64), lucerna (: χ, V 119), Mucionii (V 164), nasturcium (Non. p. 18 Lind.), tragula (V 115). C assibilatio? (cf. s.v. Murciae).

CH. (et χ graecum) = *kh* vel *k'*, cf. cavum (: *chaos* V 18-

---

[1] Aliter tamen L.L. V 169 (ab asse).

[2] Cf. sub: EI.

20), Kronos (Aug. *C. D.* VII 19), lucerna (L.L. V 119).

CC. *cc* prope *c*? cf. succidia (V 110).

E. *ē* et *ĕ* parum differunt sive quantitate sive qualitate? cf. Fēralia (: *fĕrendo* VI 13), sēclum (: *sĕne*, VI 11). *ĕ* = *ẹ*? cf. prĕtium (: *perītus*, *ī* = *ị* V 177). *ĕ* propius *ă* sono quam *ē* sonus, cf. *sĕges*: *sătus*, sed non *sēmen*: *sătus* (V 37) [1]).

EI. *ei* = *ẹi̯*? cf. ricinium (: *rĕĭcere*, V 132), cf. vehiculum (V 140) et velatura (*ĕ* + *ĕ* = *ē* = *ẹ*? R.R. I 2, 14).

G. *g* = *g*, cf. sub C. *g* = *γ* phoneticum (Reibelaut)? cf. triones (: *trigona*, Varronis, L.L. VII 74).

H. *h* sonus debilis, cf. cohors (V 88 Vel. Long. 69, 1), asta (V 115), veementer (Fun. fr. 280), vehiculum et velabrum (v. supra); attamen distinguitur: cf. arena (Serv. A. I 172).

L. *l* et *ll* parum differunt? collis (: *colere*, L.L. V 36).

N. sonus debilis ante *s* cf. ara (Macr. III 2, 8), mensa (V 118 cf. Isid. Or. XX 1, 1: „a comesu mesa", v. Wölfflin, *Sitz. Ber. Bay. Ak.* 1894, 120), pons (L.L. V 4!), ante *t* cf. Lauretum (V 152) pontifices (V 83), ante *c* cf. vicia? (R.R. I 31, 5). Cf. iam Cic. *Or.* 48, 159.

O. *o* in syllaba aperta et clausa similis fere sonus? cf. colo: collis (V 36). *ŏ* = *ọ*? cf. volpes (: *vŏlare*, V 101) propter „nux" (: *nŏcet*, *ŏ*: *ŭ* V 102).

OE. *oe* = *oe* vel *oi*? Cf. poena (: ποινή vel „post", V 177). Cf. Seelmann p. 227 = *ȯe* (*ȯ* inter *o* (*ọ*) et *ö*).

PH. *ph* (et graecum φ) = *ph* vel *p'*, cf. Aprilis (: Aphrodite VI 33).

Q. *qu* et *c* non multum differunt? cf. *-qui̯-* : *-ci̯-* vel *-qui-* : *-ci-* in „nasturcium" (Non. 18 Lind.), cf. loqui (L.L. VI 56).

R. *r* debilis ante *s*, cf. Rusor (: *rursus*, Aug. *C. D.* VII 23, 303, 15), *r* erat lingualis cf. meridies (: *medidies*

[1]) *e* cum *i* (sc. *ẹ* cum *ị*) communitas apparet ex *spīca*: *spēs* (R.R. I 48, 2 et L.L. V 37) et *via*: *veha* (R.R. I 2, 14).

VI 4), Mercurius (: *medius currens*, Aug. *C.D.* VII 14, 291, 32) et laurus (: *laudus*, Serv. Dan. Buc. VIII 12). Cf. Seelmann p. 328 et Jespersen l.l. „Zungenspitzen-*r*" (§ 137 sq.).

S. *s* erat „stimmlos" et = *ss*, cf. Lusitania Plin *N.H.* III 8.

T. assibilatio *t* soni? cf. Marci (Inc. de praen. 5, vide sub C); ϑ graecum = þ? cf. aestas (VI 9), sed etiam ϑ = *th* vel *t'*, cf. letum (VII 42), tebae (R.R. III 1, 6, cf. „sine adflatu"), imprimis: sus (propter ϑῦς > ὗς a ϑύειν R.R. II 4, 9); sed ϑ : *t* cf. putere (VI 96), Tusci (Serv. A. II 781).

U. *u* = *ü*, cf. locuples (vide „loci" Plin. *N. H.* XVIII 11), Lubentina (Aug. *C.D* IV 8, 155, 10; Is. *diff. verb.* 331); *ŭ* = *ụ*? cf. nux: *nocet* et volpes: *vŏlat* = *ŏ* = *ọ*? v. supra sub O. Utique *ŭ* non = ə vel *oe* vel *o̊*. cf. Jespersen § 151 et 153.

V. *v* = *u̯*, cf. auris (L.L. VI 83), pelvis (V 119), cf. Aeli Stilonis: pituita (<*petitu̯itam*, v. supra p. 104, 109).

CAPUT VI.

Conclusio etymologiae Varronianae.

Disputatione de Varrone ipso iamiam ad finem perducta paulisper percenseamus, quid ex iis quae supra demonstrata sunt profecisse videamur.

A thesibus profecti, quae de Varronis operis compositione et pretio nuperrime in lucem emissae sunt, id arguere vel comprobare conati sumus, in Varronis etymis duas magnas esse partes una cum aliis multis iisque minoribus, quas tamen singillatim expedire et extricare opinione multo, hercle, difficilius est. Namque cum iam „a priori" id videretur esse veri simillimum, Varronis etymologiam cum Aeliana neque qualitate neque quantitate prorsus congruere, tum veriloquiorum ipsa comparatio nonnullas quidem discrepantias aperuit, at eas non adeo multas adeoque circumscriptas, ut iis normis quasi ducibus confisi suum cuique identidem assignare valeremus. Hic autem nodus solvi non poterat, nisi Varronem ex Aeli doctrina idonea sibi elegisse, alia repudiasse crederemus, quorum exempla quidem in Aelio Stilone occurrentia hic illic recipere parum severe non recusaret, quae tamen ipse de suo numquam augeret. Vel sic Varronis studiis ac meritis satis amplum relinquitur spatium.

In altera parte tam Varronis de etymologiae disciplina sententias perlustravimus quam ipsas excussimus enodationes. Nimirum via ibi saepe erat salebrosa atque coniecturis potius quam argumentis discernendum erat, quid Varro

ipse sentiret, quas sententias alienas reciperet, postremum, unde hauriret quodcumque in usu cum ipsis doctrinae rationibus parum conveniret.

Denique haec nobis ultima oritur quaestio : quis locus in etymologiae historia Varroni tribuendus est? Locumne istum h.e. etymologiam Varronianam ex superiorum studiis nobis explicare valemus, numquam obliti ea quae de etymologia graeca et romana scimus lacunas graves, forsitan etiam opinione multo graviores habere?

Platonis vaticinia de etymologia revelata Varronis temporibus secundum hominum opinionem cum Stoicorum doctrina coniuncta erant sive locum cesserant, neque usus respectu iniuria ita existimabant. Plato etiamtunc gloria inventoris etymologiae [1]) florebat, multa ex eius etymis omnium communia [2]) erant, at homini, qualis Varro fuit, Platonis Kratylos sine dubio aenigma potius ac lusus quam fons iugis doctrinae etymologicae videbatur: dialogi e t y m a tantum spectabat, quae ridenda censebat ipse, d o c t r i n a m prae etymorum natura parum videbat [3]).

Varroni igitur hae formae modo graves sunt: etymologia Stoicorum, Alexandrinorum, recentiorum Stoicorum grammaticorum formae duae sc. Iohannis Mauropi prototypon et Aeli Stilonis doctrina magis etiam moderata, denique Philoxenus cum suis.

Varro expressis verbis dicit, duas priores formas ipsum se cognovisse; itidem res se habet in Aelio Stilone. Philoxeni innovatio vel certe recentiorum grammaticorum doctrina ei ignotae non fuerunt.

Vetus Alexandrinorum schola studia vocabulis circumscripserat poeticis. Quod Varro improbat. Attamen coniecturam haud levem fecerimus, si absque illis grammaticis Varronem librum VII de L.L. numquam conscripturum fuisse credemus.

---

[1]) Cf. Reitzenstein *Gesch. d. gr. Etym.* p. 184, A. 2.

[2]) Cf. Ioh. Mauropus. Reitzenstein in calce locos annotavit.

[3]) Eum tantum L.L. VII 37 nominat alia de causa.

Stoicorum studia hoc ei tribuerunt, ut id maxime suum iudicaret, explanare voces „communis consuetudinis" — immo se Stoicorum in hac re sectatorem esse ipse tecte affirmat. Hoc quoque a Stoicis acceptum habet, quod nondum ordinem sequitur alphabeticum, sed naturalem: iam Verrius Flaccus in hac quoque re a Stoicis prorsus se segregat. Sed in doctrinae usu apud Varronem nihil fere invenitur, quod vere stoicum sit: onomatopoeia plerumque ad Aelium Stilonem redit; figura *κατὰ ἀντίφρασιν*, a Stoicis et grammaticis adhibita, plane deest; Stoicae compositionis, qualis apud Aelium exstat, nullum exemplum Varroni ipsi pro certo assignari potest; eorum de linguae origine doctrina apud Varronem nonnisi tenuissima ostendit vestigia: non enim omnia, quae ei conveniunt, ea quoque niti necesse est: describit potius quam ducit veterum etymologiam (v. supra p. 96, 111, 218 sqq.) ista ratio.

Isdem rebus ab Iohanne Mauropo differt, qui Stoicus magis quam grammaticus est idemque tamen per compositionis adiumentum accuratius quam Varro omnem vocem explicat. Longius etiam quam Aelius a Stoicis in his rebus discessit. Quod ad hos omnes attinet, Varronis lucrum negativum potius quam positivum est; ordo: Stoici — Iohannes Mauropus — Aelius Stilo — Varro tam chronologiae obtemperat quam internae ipsarum rerum explicationi; quae est liberatio paulatim crescens a Stoicorum illis in rebus etymologicis tortuosis praestigiis [1]).

Hanc mutationem iuxta suum iudicium sanum et ieiunum neque tamen ita acre vel ingeniosum, dubio procul, Graecorum grammaticis recentioribus debet, praecipue, ni fallor, Philoxeno. Quippe uterque in etymologia principium derivationis adhibebat, priores tantum verbi litteras respiciens, sed Varro hac in re inconstans erat, nulla ratione neque ulla regula fretus, Philoxeno vero elaborata doctrina radicum (*ἀρχαί*? v. supra p. 75) et firma

[1]) Neque ipsa linguae latinae indoles defuit, quae compositionem tam raram ostenderet.

derivationis disciplina, quam *κλίσεως* nomine naturae (*φύσει*) vindicare sustinuit, viam monstrabat. Supra iam Varronem confitentem vidimus, huius exempli imitationem, quamvis affectatam, suas ipsius vires superare.

Quare autem in rebus phoneticis Aelio Stilone minus diligens fuit? Huius rei causa haud dubie in eo posita est, quod Varro natura tales res minus curabat, minus quam Aelius philosophus, et quod reiecta compositione summa vi iam inde ab initio maiorem vocabuli partem tamquam inexplicatam atque inexplicabilem semovere cogebatur. Cuius rei si *satis* sibi conscius fuisset, unam tantum viam ingredi potuit, ut sibi constaret: nempe tacuisset atque perspexisset, tunc temporis homines neque sua ipsius ratione neque Stoicorum miraculis ad verum accedere posse.

Partem semasiologicam sibi cordi non futuram dixerat: neque hoc iniuria, namque in hac re disciplina in Varrone nihil profecit [1]).

Ne multa, hanc fere Varronis imaginem ex his rebus nobis informamus: fuit laboriosus et rebus in historia, in antiquitatibus, in vita cottidiana obviis diligentissime studuit; iudicium habebat negativum potius quam positivum, ieiunus erat et inde scepticus erga omnia, quae iustum modum excederent, in rebus positivis magis alieni iudicii quam sui, quia parum criticam habebat indolem atque ingenio (originaliteit), sagacitate, divinatione tantum non ex omni parte carebat. Multis in rebus igitur verus fuit Romanus, ut iam saepenumero observatum est.

Itaque merita eius in industria et prudentia maxime posita sunt. Nihilominus hodie Stoicorum rationem absurdam

---

[1]) Reitzenstein, qui (*Gesch. d. gr. Etym.* p. 183, et ib A. 2) Varronem in stoica etymologia comprehendit (quamquam idem *Ioh. Maur.* etc. p. 36 dicit: „— Varro, der in der Etymologie nicht stoischen Grundsätzen folgt u.s.w.") haec sic extendit: „— nur dass Varro, da er „daneben auch die Grammatiker seiner Zeit benutzte erheblich vorsichtiger und methodischer verfährt". Pro illo „vorsichtiger" legendum propono: „nüchterner"; sed tamen ubi illam methodum meliorem animadverterit, equidem non video.

Varronis eventibus praeferre non verebimur: quippe cum utrique re fallantur, at illi linguae studii officium et finem quadamtenus perspexerint, alter tam doctrina quam eius usu a scopo et a linguae vita longissime aberraverit. Nam Varro unus ex multis illis fuit, qui doctrinam ab aliis prolatam laudent aut impugnent, attamen eius virtutem et finem, cum ipsi parum graves sint, haud ita *penitus* cognoscant, ut per se nova illa usui ac vitae accommodare valeant: id unum maxime agunt, ut exempla copiose imitentur, non ut ipsi exemplo sint.

Varro tamen quasi pater etymologiae Romanorum fuit: hoc ei concedamus, etiamsi id historiae potius donum quam meritum virtutis sit. Verum numquam obliviscendum est, paucas disciplinas res adeo arduas antiquis iniunxisse.

Quae sententia profecto cum Wilmansi, anno 1864 enuntiata (l.l. p. 117), parum convenit: „quam egregiis ac „paene singularibus ingeni facultatibus ad tractandas „quaestiones historicas cuiusque generis Varro praeditus „fuerit quantoque studio et amore se conlocaverit non „solum in investigandis ac perscrutandis antiquorum romanorum moribus et institutis verum etiam in exquirenda „et inlustranda litterarum scriptorumque historia, demonstrat longa series operum doctissimorum et amplissimorum „quam de his rebus composuit" [1]). Quantum mutatus ab illo Varro meus videbitur. Quod si quis forte hunc libellum hucusque legere perseveravit, ei Varronis verbis (L.L. VII 106) dico: „si quis alterutrum sequi malet, habebit auctorem."

---

[1]) In eundem fere modum de Varrone iudicium fert V. Henry l.l. (v.s. p. 115), p. 23, 91 sq. Qui magis etiam quam Wilmanns Varronis inconcinnitatem parum videns insuper ei persaepe suas ipsius obtrudit notiones ac sententias; quamquam hoc certius sentire quam evidentius convincere unusquisque valebit.

[Nuper Goetz v. cl. in commentatione s.s. (v. p. 115) neque cum his Varronis admiratoribus se stare profitetur et rursus Reitzensteini (cf. *Ioh. Maur.* p. 80) aestimationem impugnat (imprimis p. 87—89). Verum ipse quanti Varronem faciat, disertis verbis non aperit.]

Epilogus.

Longum hercle iter necnon taedio interdum obnoxium emensi sumus, quod si respexeris, multum sane pulveris excuties, solis vero radii atque regionum amoenitates memoriae nostrae minime inhaerebunt. Ut consuetudo nostra loquitur: quantam „materiam" offendimus, at quam parvum ingenium, industriam quanto maiorem quam laudem eam sequentem!

Non tamen desperandum; si pulverem removeris, quid est quod sub eo latebit? Qua via inde ab Heraclito usque ad Varronem pervenimus — si hos duos simul nominare fas est? Id tunc invenimus, quod vulgari historiae cursui, qui ad meliorem fere atque emendatiorem statum si non genus humanum, at certe varias hominum disciplinas perducit, parum conveniat. Quid enim? In Platone haec apparent: gravissimus est in ponendis problematis, vates paene in iis solvendis; ille vero, ut Varro (L.L. V 8) de alio ait, in linguae recessus penetrat, eiusque adyta, ut captus erat hominum tunc temporis, penitus noscit; divinat potius quam demonstrat; mira mentis sagacitas, vir magnus, inter suos solus, posteritati in hac re ignotus.

Quid amplius? Inde? Num per viam quamvis arduam ascendimus? Immo, deorsum tendimus. Apud Stoicos, vitae philosophos, et postea in grammaticorum — tam romanorum quam graecorum — studiis quo vehementius linguae usus suum locum flagitabat necnon impetrabat, eo magis linguae originis, finis, naturae studium imminuebatur; res in eo erat, ut posteriores, cum magis iam in media versarentur lingua, eius tantum vultus melius nossent at longius quam Plato a

rei nucleo, a linguae anima ac vita nescii discessissent. Hic, ut saepe, mentis humanae cogitationis altitudo et latitudo eiusmodi sunt, quae numquam fere coniungi se patiantur. Ut imagine utar, scientiae fluctus ab angusta semita vel ex rivulo tenui superne fertur et paulatim se dilatat; plures plura conferunt, at infra aquae liquidae non iam sunt et prae rapido cursu liquescere nequeunt: sic posteritas, dum maioribus fundamentis nititur, in multitudine maiore unum vel unitatem agnoscere obliviscitur.

Eodem modo Graecorum philosophia comparata est. Ut mens humana iam statim ab initio ibi gravissimas physicae vel metaphysicae quaestiones aggredi non gravatur, altior eademque levior quam saecula sequentia, experientia atque experimentis minus freta sed etiam minus impedita vel occaecata, ita Aristoteles denique magis etiam quam Plato philosophiam latiore conclusit alveo, ita tamen ut ille quidem prae singulari animi vigore atque diligentia vel optime tantam molem digerere necnon elaborare valeret, id quod posteri iam nullo modo sustinuerunt (v. supra p. 35, 43 sq.). Atqui videris, Plato nonne linguae scientiae idem praestiterit, quod philosophi Ionici, Eleatae, alii, philosophiae Graecorum. At hic proportionis quartum membrum defuit: ille „Aristoteles" linguae studii neque fuit Aristoteles ipse, neque quisquam posterorum. Cuius rei causam hanc pono, quod problemata ista illi aetati, illis hominibus nullam omnino solutionem ostendebant satis probabilem eamque Platonis Kratylo praestantem. Immo, si qui forte ibi quaesiverunt, quin plane animum desponderent, fieri nullo modo poterat.

Ut brevi formula finiam: quod primum fuit, optimum fuit atque invito temporis cursu optimum permansit; materia oculos nostros obscurat nec, quid subsit, clare nos perspicere saepe patitur, at genius nobilissimus hac lege minus tenetur ideoque extra generis humani explicationem positus esse videtur; neque saeculorum innovationes curat, maximus ille vates atque divinus. Rem miram, inexplicabilem, mysterium spei plenum!

APPENDIX I.

Etyma recensentur, in quibus eiusdem rei apud Varronem variis modis duplex proponitur explicatio.

A. Ea, quorum duae proponuntur enodationes, ex quibus alterutra eligatur (multa quoque insunt in verbis ex graeca lingua mutuatis, v. supra, p. 182 sq.): aestas, aevum, ager, amoletum (Char. p. 105, 9; cf. nuperrime Wünsch, *Glotta* II 220), aper, Aprilis, ara, Argiletum, armilustrium (VI 22), asparagus, Aventinus, balteum, canis, catinum, catulus, cervi, clepere, cohors (tres explicationes, cf. L.L. V 88 et Vel. Long. p. 69, 1), fundus, harena, Lauretum, lectica, lucerna, mane, Mars, meminisse, mensa, metuo, Minerva, multa, mundus, munus, novensiles, obscenum, Ops, panis, pauper, pecus, poculum, poena, porca, porcus, Publii, pulvinar, Puteoli, puteus (? L.L. V 24, VI 84 cf. V 122, et Gell. I 18, 2 sq.), Puticuli, reciproca, segestria, sol, sors, stips, sus, termini, trapetes, tutulus, vallum, vehiculum, Venilia, ver, verbum (? apud Augustinum), vestibulum (? ap. Serv. Aen. VI 273), vitulus („plerique"), ursus.

Vide iam pauca apud Lersch III 170 sq., cf. supra p. 186 sqq.

B. Ea, quorum nomen (aut phonetice aut semasiologice aut utrimque) per duas origines *coniunctas* explicatur: angiportus, capitium, cervi (?), dictator, discrimen, facundus, formido (?), fruges, irpices, lympha, metuo, munus, nomina, oppidum, palus, pecus (L.L. V 95), plaustrum, Proculus,

rastri, sarculum, tempus, tribuni, triones, valvae, Venilia, ver, Volcanus, volo, urbes; et imprimis tribuni L.L. V 81 et turma V 91, ubi videas.

C. Quae diversis locis eodem modo tractantur: angiportus (L.L. V 145, VI 41), fasti (VI 29, 53), fatuus (VI 52 et 55), puteus (? L.L. V 24, VI 84, Gell. I 18, 2).

D. Quae diversis locis diverse tractantur: asta (V 115, VII 54), canis (V 99 et VII 32), catulus (V 99 et IX 74), cohors (V 88 et Vel. Long. 69, 1), deus (V 66 et Serv. Dan. Aen. XII 139), Diana (V 68, 74, Prob. Verg. Buc. VI 31), febris (Non. p. 66 Lind. et Serv. Aen. VII 695), Feronia (L.L. V 74 et Serv. Dan. Aen. VIII 564), Iunius (L.L. VI 33 et Censor. *d.d. nat.* 22, 9), latrare (VII 32 et 103), lympha (V 71 et VII 87), macellum (V 146 sq.), manipulus (V 88 et VI 85), multa (V 177 et Gell. XI 1, 5), munus (L.L. V 141 et 179), Palatinus (V 53 et Serv. Aen. VIII 51), pallia (cf. palla, V 131, 133 et Serv. Aen. I 648), Proserpina (L.L. V 68 et August. *C.D.* VII, 24, 304, 10), puteus (v. supra), tragula (V 115 et 139), tressis (V 169 et IX 83), tribunus (V 81 et 181).

Quae excussa omnia forsitan tam de Varronis fontibus quam de ipsius inclinationibus in rebus etymologicis nonnihil melius edocere possint.

APPENDIX II.

Qua de **Augustini** libello *Principia dialecticae* agitur.

R. Schmidt in libro *Stoicorum Grammatica* et A. Wilmanns (l.l. [supra p. 115] p. 16 sqq.) Augustini opusculum (Migne P. Lat. 32) ex libris II—IV L.L. haustum esse crediderunt, deinde Reitzenstein *Ioh. Maurop.* etc. p. 66—80 ex libro I de L.L. id derivavit, postremo Funaiolius, cui Goetz G.G.A. 1908, p. 805 sqq. assentitur, ex Disciplinarum libro II de dialectica id ortum esse putat (p. 187).

Praeter ea, quae Funaiolius iam dixit, contra Wilmannsi sententiam haec fere afferenda sunt.

Multa quidem veriloquia ex libris de L.L. apud Augustinum inveniuntur, quaedam tamen aliter ibi formata sunt, id quod mihi multo videtur molestius quam Wilmannsio (p. 17 A.): e.g. Augustinus *viam* a „vieto" derivat, Varro L.L. V 35 (et 22)[1]) a „vehendo". Etymologiae κατὰ

[1]) In L.L. V 21 sq. locus corruptus est. Müller in editione et Wilmanns l.l. p. 17, A. hic iam vocabulorum: via, iter, actus, ambitus, etyma suspicantur (cf. Steinthal l.l.[2] I p. 354), Wilmannsio auctore ex V 35 huc illata. Equidem potius credo, Varronem hoc loco usque ad § 21: „— quod maxime teritur" suum sequi fontem, i.e. Aelium Stilonem, quem denuo adhibeat in § 22: igitur terra e.q.s.". Quae inter ea insunt, ex cuiusdam (Cosconi?) rhematico, cuius vestigia Reitzenstein in l. VI locis compluribus detexisse videtur, inserta esse suspicor de verbo *terendi*. Ordo in his erat alphabeticus: tera, teritorium (cum r uno, etymologice!), (ex)termentarium, tritura, trivolum; „terminus" fons

ἀντίφρασιν: *lucus, bellum, foedus* apud Varronem non exstant, et a tota eius ratione in libris de L.L. plane abhorrent. Sic quod dicit Wilmanns (p. 17): „deinde principia etymologica eadem apud utrumque sunt (sc. Varronem et Augustinum), quod cum unusquisque facile videat, non „multis expono" mihi parum videtur rectum. Immo, ut iam exposui, classium logicarum et etymologicarum apud Augustinum exstantium Varro nonnisi rarissime (v. supra p. 223 sq.) adhibuit rationem: e.g. onomatopoeiae internae („verklanking", v. supra p. 55) nobis nullum ostendit relectosque vestigium. Quicumque insuper Augustinum et Varronem legerit comparaverit, is, ni fallor, duos animos diversos in iispositos credet.

Non tamen desunt, quae in utroque libro exstent: e.g. L.L. V 37: vitis a vino, id a vi [1]) et VII 80 (cf. Reitzenstein l.l. p. 40), ubi tantum *video* et *viso* Aelio tribuo, reliqua (cf. ordo alphabeticus): *vigilant, vigilium* propter malam soni curam et *violare, invident* ut supervacanea (cf. etiam 3ª pers. plur.) Varronis esse puto.

---

dubio procul ex graeca lingua derivarat (cf. VI 96 et Reitzenstein l.l. p. 40), Varro vero ordinem invertit itaque rem protulit inconcinnam. Deinde eius fons ad composita transiit: „iter quod eundo (v. infra „circumeundo", vel Mülleri coniectura: „itu", cf. V 35) teritur"; quae hoc loco excidisse puto; sin minus, Varro fontem male intellexit. Inde ut illud „terere" in itineris notione legentibus probaret, Varro itinerum exempla quaedam ipse proposuit, quibus terendi verbum valde erat accommodatum: via quidem iter, quod ea vehendo teritur, „zoo is via een iter, omdat etc.". Hic igitur non ipsa habemus etyma, quae exstant V 35: iter ab itu, etc., modo Varrone digno. Utrum *via* a *vehendo* in secundo illo fonte invenerit s.v. *veho*, an hoc indagaverit ductus pronuntiatione rustica (cf. R.R. I 2, 14 ubi h in „veham" dubio procul orthographiae etymologicae Varronis debetur), hoc diiudicare non ausim. Apud Augustinum legitur: via a vi, quod Aelio magis videtur aptum, qui id sibi sumeret, ut potius in soni quam in sensus observantia excelleret.

Postremo moneo huius annotationis partem iam exstare apud Reitzensteinium p. 83, A. i.f., id quod nunc demum video.

[1]) Haec vere stoica est cogitatio. Ex L.L. V 8 sequitur: *oppidum, via, vicus* (cf. V 141, 145, 35) ex Aelio esse sumpta?

Quidni igitur Augustini libelli rationes graecas, exempla stoica, Stoico Aelio Stiloni assignamus? Attamen non omnia, quia Augustinum fontem parum intellexisse necnon quaedam sponte addidisse etyma saepe apparet: cf. ubi *vietus* a „vite" derivat, propterea, quod similiter „incurvum" significet, deinde *via* a *vite* vel *vieto* explicatur, quod „flexuosa" sit et ipsa! His intermixta est enodatio Aeliana: „terra a terendo", quae huc non quadrat nec veriloquii vice videtur fungi. Itaque haud scio an iam Aelius Stilo ex graeco fonte tale composuerit etymologiae isagogicum, id quod ab eo, primo Romanorum etymologo, minime videtur alienum. Tamen, quia sine dubio Augustinus non recta via ab Aelio suum argumentum mutuatus est, Varronem eam rem retractasse et paululum auxisse credo. At ubi?

In L.L. IV (cf. analogice cum l. X) etiam contra etymorum naturam a Varroniana (in l.l. de L.L.) discrepantem — quantum enim in Varrone doctrina et usus distant! — libenter id poneremus, nisi nos vetaret Funaioli observatio (l.l. p. 187) numquam alibi Augustinum Varronis l.l. de L.L. vel ceteros libros grammaticos aut laudasse aut evidenter adhibuisse.

Reitzensteini autem opinionem iam Goetz, Rohrscheidt et Wessner (l.l. v. supra p. 78 A.) impugnaverunt. Ipse dixit paululum obscure (*Ioh. Maur.* p. 30): — „die Bedeutung des kleinen Werkes des Iohannes Euchaita liegt darin, „dass es uns Varros Quellen und Varro's eigene Thätigkeit „beurteilen lässt". Qui sunt isti fontes? Si non Aelium sed etymologicum graecum sic tecte designavit, non plane video, cur Varro etyma sua secundum Reitzensteinium ex Aelio hauserit, at doctrinam ex fonte graeco: nisi forte Aelius de d o c t r i n a nihil omnino prodiderit. Si tamen Reitzenstein recte conclusit, tam L.L. VIII 1—24 quam Augustini libellum ex L.L. I haustum esse, et mea coniectura etymologiae expositio ad Aelium rediret, l. VIII 1—24, et usque ad 25 finem ex eodem Aelio hausta essent, quamvis revera sint istae partes inter se dissimiles (cf. contra Reitzensteinium de L.L. VIII 25 sqq. Rohrscheidt l.l.).

Contra Reitzensteini vero opinionem de libelli illius origine ex libro I de L.L. multa alia indicia arguunt. Quare in primo libro etymologiam exposuit, quae sequentibus libris debetur? Quot res quamque variae — Augustini capita decem, L.L. VIII 1—24! — Reitzenstein huic uni libro obtrudit! Encyclopaedia profecto totius fere grammaticae fuisset.

Deinde Varro alibi semper diligenter annotat, ubi ex superioribus libris aliquid repetit (v. in initio et in fine l.l.). Cur id in l. VIII 1—24 omisit [1], si re vera ea ex libro I hausit?

Etiam de libro illo mystico L.L. I nondum disceptata lis est. Umquamne fuit [2]? In hac re tantummodo nituntur testimonio Hieronymi et librorum inscriptionibus (cf. etiam Fun. p. 187 sq.). Ut omnibus notum est, ultimus liber solum vicesimus quartus laudatur (Gell. XVI 8, 4): ut liber X analogiae summam tractat, sic ille liber de proloquiorum summa forsitan agere coeperit (cf. tamen Wilmanns p. 20 et Reitzenstein p. 76) et operis fuerit postremus. Hieronymi error enumerationis incuria abunde satis explicetur, si eum cum Rerum Humanarum libris XXV eos confudisse suspicemur.

Longum est, totam Reitzensteini argumentationem hoc loco ad obrussam exigere. Hoc tamen moneo, eum in fine suam thesin tantummodo de capitibus VI et X Augustini libri vindicare his verbis parum ad persuadendum accommodatis (p. 79): „Aber die Uebereinstimmung der Grundrichtung in Varro VIII 1—24 und in Augustin *de princ. dial.* VI und X scheint mir erwiesen."

Quibus enim maxime nititur, partitiones dico in tres quattuorve partes — prorsus enim *similes* huiusmodi divisiones

---

[1]) Cf. e.g. L.L. VIII 19 i.f.

[2]) Cf. V 1: ubi tantummodo „tres libros" nominat: de primo nusquam sermo est. Forsitan conicere liceat, librum „de grammatica" ex Disciplinarum libris medio aevo in virorum doctorum opinione libri primi de L.L. tenuisse locum, quamquam eius argumentum (cf. fr. * 237 Fun.) a ceteris libris plane abhorrere videtur. Hoc etiam mirum est, quod alia magna eius opera, e.g. Antiquitatum Rer. Hum. et Divin. libri utrique, unum librum prooemii vice habebant.

tantum in c. VI et X occurrunt —, ex hoc schematismo saepe iusto magis hodie conclusiones fiunt. Rectissime de Useneri commentatione (v. supra p. 1, A. 1) ipse sic iudicavit Reitzenstein (*Gesch. d. gr. Et.* p. 185, A. 1): „ich „vermag allerdings nicht alle diese „Vierteilungen" auf den „einen Tyrannion zurückzuführen. Das Prinzip ist älter „und könnte verschiedene Männer beeinflüssen". Recte id quidem; accedit quod saepe tripartitio primitus fuit duplex vel quadruplex, et tertia classis ea demum addita est, quae utriusque proprietates in sua notione amplecteretur: talis tandem, quae et ab una classe et ab altera *plane* abhorreat, in his rebus maioris videtur esse momenti. Praeterea, quasi vero numquam observatio ipsa nobis tres partes ostendat et eas tantum per doctrinae vim vel adiumentum detegere possimus! Hoc vere nostrae aetatis est, quae „Systemzwang", quod dicitur, signo se victuram putat. Quo accedit, quod non semper res sponte Reitzensteini argumentationi conveniunt[1]).

Legi igitur ac relegi Augustini libellum, unde factum est, ut minus semper animum inducere potuerim, revera haec omnia ex Varronis L.L. l. I hausta esse. Neque e.g. ea cum Varronis librorum tenore conveniunt, quae Augustinus

[1]) Demonstrare enim studet, classes formationis verborum (August. c. VI), notionum (Diog. Laert. VII 52), amphiboliae et tralationis (August. c. X), τρόπων (i. a. Quint. VIII 6, 1) et σχημάτων (ib. IX 1), eodem niti fundamento. Hoc, licet haud omnino negandum neque spernendum sit, quid efficit? Ea tamen quae disputat p. 69, parum evidenter sub unum coguntur conspectum. Neque enim si similitudinem cum L.L. VIII 14 sq. et 18 sq. paulo diligentius (cf. Reitz. l.l. p. 67, 69: 77—79) inspexeris, tibi omnia persuadebit: e.g. divisio „ab animali ad animale", quam habent Charisius et Quintilianus, haud luce clarius in Varrone exstat, neque „animale; inanimale" idem est, quod apud Quint. VIII 6, 13 „rationale: irrationale", neque transitus „Roma: Romanus, h.e. ab inanimali ad animale" cum alia ratione „efficiens ab effectu" aequari se sinit, ut Reitzenstein p. 79 perhibet. Denique „a parte, a toto" (L.L. VIII 14) prorsus aliter comparatum est atque ἀπὸ ὅλου τὸ μέρος et ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον. Hoc tamen rectissime Reitzenstein perspexit, veteris doctrinae cuiusdam philosophicae Graecorum in his rebus propagines late serpere.

dicit de sono (c. V): „de sono enim verbi agitur, cum „quaeritur, vel animadvertitur, quanta vocalium vel dispositione leniatur vel concursione dehiscat; item consonantium vel interpositione nodetur, vel congestione asperetur; „et quot vel qualibus syllabis constet, ubi poeticus rhytmus „accentusque a grammaticis solo aurium tractatur negotio", et (c. VI i.f.): „quot modis autem origo verborum corruptione vocum varietur, i n e p t u m est prosequi: nam et „longum et minus quam illa, quae dicta sunt, necessarium „est." Hic aut Varronem in L.L. impugnat aut ex alio fonte mutuatur (cf. c. V: „sed quod sonat, nihil ad d i a l e c t i c a m").

Quae cum ita sint, Funaiolio maxime assentior, qui libellum nostrum ex Varronis Disciplinarum l. II *de dialectica* haustum esse arguit: quippe cui idem atque Augustini opusculo sit titulus, quique auctore Ritschelio unus fuerit ex extremis eius scriptis, unde Et ut in libris de L.L. eam doc- trinam necdum laudare neque ad eam in libri VIII parte priore legentem revocare Varro noster potuerit [1]). Cf. Ritschl *Opusc.* III 419—505.

---

[1]) De Disciplinarum libro I *de grammatica* cogitare non licet: cf. fr. * 237 et Fun. ad fr. 48.

Augustinus exemplum fovet „homo disputat", Varro (VIII 12) „homo „legit", id quod neque contra Reitzensteinium neque pro eo quicquam testificari arbitror.

LIBRI CONSPECTUS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pg. 30 v. 1 legatur: 412 E pro 421 E.
Pg. 32 v. 3 legatur: videatur.
v. 24 legatur: l. l.,
Pg. 100 v. 23 legatur: Reitzensteini.
Pg. 115 et 143 in Ann. De Goetzi v. cl. commentatione non multum habeo, quod addam. Quibus in rebus ab eo differam, iam satis superque manifestum erit. Ut brevissime haec complectar, Goetz Aeli Stilonis librum etymologicum non agnoscit (p. 85). Nempe eius vestigia certa habemus nulla. De libris autem VIII—IX aliam viam ingreditur, qua tamen non multum profecit (p. 86 sq.), ut ipse confitetur: „mit dieser Darlegung ist — die eigentliche Quellenfrage für „die Bücher VIII und IX nicht erledigt, sondern nur verschoben." Itidem res se habet in libris V—VII. Quomodo enim Aelio opus quoddam etymologicum abiudicans Varronis veriloquia interpretetur et sibi explicet, nusquam disertis verbis dicit. Ego quidem hoc libello demonstrare conatus sum, absque Aeli Stilonis opusculo quodam enodationes continenti Varronis ipsius studia etymologica aenigmatis instar nobis esse. Nihilominus ex animi sententia Goetzio assentior, ubi dicit (l. l.): „da aber die stoischen Quellen ebenso, wie die der „alexandrinischen Grammatik zugehörigen bis auf dürftige Trümmer „verloren sind, so wird man über die Darlegungen von Wilmanns „und die Andeutungen Reitzensteins nicht erheblich vorzudringen „imstande sein."
Pg. 120 v. 2, 22, 24 legatur: Aeli.
Pg. 122 v. 15 legatur: Aeli.
Pg. 126 v. 2, 3, 20 legatur: Aeli.
Pg. 127 v. 18 legatur: Aeli.
Pg. 131 v. 8 legatur: Verri.
Pg. 132 v. 3 legatur: Verri.
Pg. 139 v. 5 legatur: b 24.

Pg. 153 v. 27 legatur: conexam.
Pg. 187 v. 6 legatur: „poena."
Pg. 189 v. 4 addatur: de vocabulis *oscis* cf. *Mefitis* (Varro L. L. V 49), cf. v. Planta, I p. 453.
Pg. 201 v. 36 legatur: *virtus*.
Pg. 208 v. 5 addatur: cf. de hac re Gell. II 3, 1: *h* non littera, sed „spiritus."
Pg. 221 v. 36 legatur: eminet, ap.
Pg. 226 v. 32 expungantur verba: De etc. p. 227 B. en C.
v. 33 pro B. legatur A.
Pg. 222 in annotatione legatur: W. L. van Helten.
Pg. 230 v. 15 legatur: posterius.
Pg. 252 v. 17 addatur: praes (Varro L.L. V. 40 et VI 74).
Pg. 257 v. 30 legatur: Quintilianus et Charisius.